

W. 19. (1. 2.)

M. Neffs Ausgabe des Vocabular. jur. uti. folio b. Kaugen.
Neff. folio b. in demselben die Ausgabe des Opusculi Agapeti
v. J. 1520.

DE D. DIVONIS
IVRIS CONSVLTI LAV-
DIBVS, ET VITA, ORATIO,
MVLTA S VTILES DOCTRINAS COM-
plectens, studiosis Iuris, & ijs potissimum, qui gubernaculis admouendi sunt, profuturas, conscripta ab Hen-
rico Cnaustino, V. I. Doctore, Sacri Palatij,
aulæq; Lateranensis Comite, &
Poeta Cæsareo.

ACCESSIT AD FINEM, ORATIO FV
nebris, de vita & obitu D. Eobani Ziegleri, Saltzensis, V. I. Doctoreis ce-
leberrimi, quondam Archiprasulis, & Electoris, Moguntini, Cardi-
nalis Alberti, Marchionis Brandenburgensis, &c. Can-
cellarij, Nouissime autem Syndici Reipubl. Er-
phordensis, eodem authore.




COLONIAE
Apud Maternum Cholinum.

Anno D. M. LXXIIII.

INSTITUTIONE
LAW
ORATIO
V. I. Doctoris
Loci

ACCESIT AD FINEM ORATIONIS
Locus



Abud Martini Cholinum

Anno D. M. LXXIII.



REVERENDO, CLARISSIMO,
 MO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO,
 atq; doctissimo, simul & venerando, honesto,
 circumspecto, & optimo pietate, eruditione, prudentia,
 grauitate, omniq; virtutum genere ornatissimis & præstantissimis viris, D. Henningo Hoppen, V. I. Doctori, Ecclesiæ Maioris, Beatæ Mariæ virginis, apud Inclytam Erphordiam Præposito, & Seniori dignissimo, Nec non D. Ioanni Bussen, Canonico ibidem, bene merito, Testamentarijs. Executoribus, à clarissimo viro, D. Doctore Eobano Zieglero, Iurisconsulto, piæ memoriæ dum viueret, ordinatis, Dominis, & amicis suis, imprimis reuerenter obseruandis, & colendis, Henricus Cnautinus, V. I. Doctor, Gratiam & pacem, incuntisq; anni recentis, fœlix, & faustum auspiciū, curriculumq; à Christo, Dei æterno filio, optat & precatur.

IN descriptione laudum Iuonis Iureconsulti, & Theologi, quem vetustas, ob innocentiam vitæ, inter Sanctos retulit, lusi nuper, animi gratia, nescio quam fœliciter, & quo eruditorum applausu, Reuerende, Clarissime, Magnifice, Amplissime, Doctissimèq; D. Doctor, præposite dignissime, & tu venerande, honeste, circumspecte, optimèq; D. Ioannes, Ecclesiæ Marianæ, in diuinis, ὀφθαλμὸς καὶ ὄμμα, Adieci in finem, oratiunculam funebrem, de vita, & obitu, Reuerendi, & clarissimi, doctissimiq; viri, D. Doctoris Eobani Ziegleri, piæ recollectionis, Cancellarij quondā Cardinalis Alberti, Magdeburgensis & Moguntinensis Archipræsulis: & Electoris, nouissime autem, Scholastici, & Canonici, Ecclesiæ maioris Marianæ, in qua & Reuerendissimi nostri, Domini Danielis Archiepiscopi Electoris Moguntini, Sigillifer, & commissarius, seu officialis, Academiæ etiā, vicecancellarius, & in inclytæ vrbis Erphordiæ, multo-
 A ij rum

P R A E F A T I O

torum annorum Syndicus fuit, cuius vos Testamentarij extitistis, ad exequendam ipsius vltimam voluntatē, & dispositionem nouissimam, de bonis relictis, quorū partem Ecclesijs, ad pias causas, partem agnatis, cognatis, & amicis, officiosē legauerat. Quanto autem ea vobis Executio, labore, cura, sollicitudine, anxietate, & periculo constiterit, multis bonis viris notum est, & vestro saepe dolui dolore. Amplas is vir sibi cōpararat opes, quas, amplæ, grauesq;, comitabantur curæ, quibus premebamini, quod vobis exequendi necessitas imposita esset. At præfaga vobis mens mali, in ipso statim initio delati Testamenti, erat. Nec enim ea solum, quæ ante pedes, & præ manu erant, prudentes videbatis, sed & ea, quæ futura cogitari poterant, prospiciebatis. Atq; eam, ob causam, Executionem, ad vos deuolutam, grauiter recusabatis. Et nisi, bonæ memoriæ, optimus & præstantissimus, vir doctrina & eloquio egregius, D. Henricus Ternarius, artium & philosophiæ Magister, Canonicus Marianus Erphordensis, D. Doctoris Eobani, é sorore nepos, vos suis precibus, quas penè prouolutus ad genua Domini Doctoris Præpositi, non sine fletu & lachrymis (quanquam alioqui constans, & fortis, animo erat) interposuerat, pulsasset, eoq; permouisset, vt grauissimū in vos onus reciperetis, non fuisset hac parte laboratum. Sed fidelis Deus, qui dat, vnā cum tentatione euentum, vt sufferre possimus. Nec ad vos, nec ad Ternarium commodi quicquam, ex relictis opibus, deuenit, vos enim non parum de vestro, in lites, & alia, impendere coacti estis. Ternarius, etiam vitam profudit, captus à propinquo, & trucidatus. Ego quoq;, cum vos nollem, vltra bonum, & æquum, grauari, & forte pro vobis, protocolli iudicarij, seu Imbreuiaturæ rationem, cautionemq; allegarem, penè infortunium tuli, & in summum periculum incidi, vnde vix ægrè tandem erupi.

Verum quid hæc, parum grata, commemoro. Redeo ad luonem, cuius vitam, & laudes, hic describere volui,
in

P R A E F A T I O

in honorem vniuersitatis & Academiae nostrae, quae Iuonis solennem memoriam, publicis sacris solita est aliquando celebrare.


Porrò, vobis, viris, ac Dominis Reuerendis, Magnificis, Amplissimis, Clarissimis, venerandis, honestissimis, optimis, & praestantissimis, hoc quicquid est opellae, nuncupo & dedico, in recentis anni foelix auspiciu, curriculumq; foelicius, atq; oro, vt gratum vobis sit officiu meum, quo vos, praeter caeteris, ob pietatem, integritatem, amorem iusticiae, candorem, prudentiam, doctrinam, reliquasq; virtutes, quas in vobis fitas, ante multos annos intellexi, reuerenter, & vnicè, colo, ac magnifacio.

Adiecta etiam, de vita Eobani Ziegleri, V. I. Doctoris consultissimi, historiae lectione fruamini, si delicatissimis auribus, tenuissimus orationis filius, satis faciat. Nemo praestanti huic viro, iam annis, plus minus, duodecim (decessit enim anno 1560. die 6. Augusti, ni fallor) quicquam, seu carmine, seu prosa, parentare voluit, cum tamen de multis praclare meritis sit, qui nunc, nisi ipse fuisset, nihil essent. Malam, illi demortuo, gratiam retulere multi, bonam ferè nemo. Inchoaram hanc orationem funebrem, & ad vmbilicum perduxeram, ante annos vndecim, sed vltra nonum etiam annum pressi, iuxta Horatii praescriptum, sperans fore, vt quis doctior, melius quiddam, in tanti viri laudes, ederet. Caeterum nemo inuentus est, qui in hanc arenam descendere voluisset. Quare non volui, has meas nani-
as, diutius, premere, quae si R. & A. D. V. placerent, abunde esset, quod gauderem, & gratias agerem Deo & vobis. Patrocinijs vestris, has duas orationes commendo, vt à Sycophantarum morsibus vindicentur. Nec enim decurrunt, qui nos crudeliter lacerent calumnijs. Verum eruditionem tuam, insignem illam, ac vere solidam, Clarissime Magnifice, ac Amplissime D. Doctor, Praeposite, quae non huic modo Scholae, & Ecclesiae, sed vniuersae

P R A E F A T I O

penè Germaniæ, nota est, spero mihi loco scuti, & clypei futuram esse. Tanta namq; est authoritas, & existimatio tua, vt facilè quiuis, etiam summè maledicus scurra, & oblatrator, tuum sit fastigium, erubescendo veriturus. Nouistis meam fortunam, & quibus cum conflicter ingenijs. Oro patrem Domini nostri Iesu Christi, vt V. D. tueatur, sua gratia, vósq; sub vmbra alarum suarum clementer protegat, in æternam nominis sui laudem, & gloriam Ecclesiæ, & Reipubl. Erfordensis, vtilitatem, incolumitatemq;. Indiget enim Respubl. tam Ecclesiastica, quàm Ciuilis, ope bonorū, & integrorum virorum, ne pessum eant, pereantq; sensim ea, quæ maiores nostri, summa pietate, fide, integritate, prudentia, studio, industria, indefessoq; labore, fundauerunt, nobisq; pepererunt, & quasi per manus traderunt. Videmus, quo pacto, fatalibus his temporibus, omnia ruinam minentur, & sicut Poeta dixit, Fatis in peius ruere. Me R. & M. D. V. vnà cum his scriptis meis commendo: & vos Christo generis humani seruatori, omnipotentis Dei filio, vnico, viuo, vero, & æterno. Benè valete. Erfordiæ, è Musæo nostro, ipsa Sanctorum Magorum orientalium sacra solennitate, quam Ecclesia Epiphaniæ appellatione insigniuit, Anno, à Natiuitate Domini Iesu

Christi, filij Dei, 1574.



DE D. IVONIS IVRIS
CONSULTI LAVDIBVS, ET
VITA, ORATIO, MVLTA VTILES DO-

CTRINAS COMPLECTENS, STUDIO SIS IVRIS, ET IIS

potissimum, qui gubernaculis admouendi sunt, profuturas,

conscripta ab Henrico Cnaustino, V. I. Doctore

*Sacri Palatii, aulae, Lateranensis Co-
mite, & Poeta Caesareo.*



Lim Romani, vt ingeniorum, aut industriae specimen aliquod exhiberent, propinquos pro rostris laudare solebant, multisque id laudi fuit, & ille, velut primus aditus, ad noticiam, & famam hominum, atque honorē, habitus est. Ego vero mihi non aliquam ex hac re ingenij laudem capio, quod intelligo, quam in me tenue sit, & exile, neque Eloquentiae, quae in me cecidit nulla, nisi quis forte, hanc laudē D. Iuonis, Iureconsulti, quam nunc instituimus, officij, aut reuerentiae, in eam professionem, cui nomen dedimus, esse putabit.

Fuit nobis propinquus quidam, ante paucos annos, cui nomen Iuoni Barscampo erat, eius quoties nobis recordatio subit (subit autē ferē quotidie) de D. Iuone illo, Iureconsulto, quem, ob vitae innocentiam, veteres sanctum dixere, sancte cogitare soleo, & optare, vt huius generis Iurisperitorum reliquiae nobis multae restent, & ne vlla sit vnquam penuria illiusmodi Iusticiae Sacerdotū, ex quibus non cito mali quid oriatur publice. Atque ideo, à recordatione nominis propinqui nostri occasione sumpta, instituimus aliquid dicere, de vita, moribus, & doctrina D. Iuonis, reiectis superstitionis quibusdam fabulamentis, quibus laudes optimi viri, magis deformantur, quam ornantur. Omissa igitur longiore praefatione, ad rem ipsam accingemur, & telam, quam texendam suscepimus, auspice Christo, ordiemur.

A

Ac pri-

O R A T I O

Ac primum quidem, natus est Iuo noster, vt quidam Annalium descriptores ferunt, in vico villæ Martini, in agro Corensi, quæ ciuitas in primis Britannia finibus sita est. Patrem habuisse, Habelorum nomine, dicitur, matrem Azoram, in clyto loco natam, virtute, & nobilitate generis, ambos insignes. Infantia ipsius, ad pietatem docilis fuit, parentibus morigera, & obediens, nec non ad omne officium tractabilis. Principio, artium Rudimenta, facili Minerua, in prima ista ætate, pœdagogis cōmendatus, hausit, atque ad vnguem percepit. At decimū quartum egressus annum, capiendi maioris cultus ingenij gratia, à parētibus missus est Lutetiam, vbi ita strenue ac gnauiter literis operam dedit, vt breui annorum spacio, totam optimarum artium *κυκλοπαίδειαν* perdisceret. Græcæ quoque linguæ studiosissimus fuit, quod absque eius cognitione, nemo solidam eruditionē assequi possit. Et ne quid ad perfectionem absolutæ doctrine deesset, Hebraicæ quoque linguę rudimenta attigit. Poëscos etiam valdè studiosus erat, quod exercitatio, & consuetudo scribendi carmen, multas habeat utilitates. Magnā enim copiam verborum, & figurarum, & quādam vt Quintilianus appellat, sublimitatem orationi solute adfert. Neq; potest fieri, vt omissa exercitatione scribendorum versuum. tolerabiliter scribamus solutam orationem, cuius rei multe sunt causse. Cum itaq; Iuo noster, Rhetorum admiratione, artis eloquēdi studiosissimus esset, adiunxit acre studium poëscos, quo se nō parū copia, delectu, figuris, & ornamentis verborum adiuuari in eloquendo intelligebat. Acuti namq; erat ingenij, magnæ & natiuæ facundiæ, tenacisq; imprimis memoriæ.

Porro Adolescentia, & Iuuentus Iuonis, plane speciosa fuere. Cætera autem ætas vniuersa, honoratissima, & impensa studijs, & negotijs ciuilibus, & Reipublicæ, successu nequaquam vulgari. Ornabant omnia in homine dignitas corporis, & vultus elegātia, ac modestia, venustasq;:

DE VITA D. IVONIS.

tasq; atq; lepos quidam morum singularis. Non tume-
bat, superbia, & fastu inflatus, elatusque, sed in omni con-
gressu, facilis erat conuersatio. Vox acuta fuit, & suavis.
In oratione grauis, ore, non pedibus, manibusue loque-
batur, quod plerique faciunt, non nares, pilos, aures, ma-
xillamue, interdicens perfricabat, non lambebat,
nec mordebat labia, nō boatu personabat, non hinnitu,
non barritu, nec garritu eiulabat, sed modestè, corpore
immoto, sensim, suauiter, & breuiuscule, veluti Syre-
nes, audientium aures demulcebat: quo factum est, vt in-
ter coætaneos, in dicendi arte, & eruditione omni, vna
voce primatum obtineret.

Diuina penè vox est Homeri, quod non vni omnia,
tribuerit Deus. Videmus enim, alios eloquentia, alios
prudencia, quosdam eruditione præstare, nonnullos, ali-
is virtutibus, ac ornamenti præditos, valere. Paucissimos
verò vidimus simul & eloquentes, & extra communem
aleam, eruditos, & sapientes extitisse. Iuo pariter & do-
ctissimus, & eloquentissimus erat. Epotarat quippe cra-
teras scientiarum ferè omnes, & imprimis illam limpi-
dissimam, & planè nectaream aquam, atque fontes philo-
sophiæ, quos paucissimi primis vix labris attigerunt, aut
à limine quasi salutarunt. O magna, & ingens, imo im-
mortalis potius, ingenij fœcunditas, ô beatissima vber-
tas, quæ in Iuone adhuc Ephæbo, tantas virtutes operata
est, & eoque in maturiori ætate excreuit, vt altius hu-
manis se efferens, caput inter nubila condiderit.

Tandem Iuo, tritas Philosophiæ semitas linquens, nō
non modo Parisiense Gymnasium, (quod inter alia ca-
put extulit, vt inter lenta solent viburna cupressi) sed &
Aurelianum perlustrare voluit, vt celebres, & claros do-
ctrina, & sapientia, illius temporis, sui que sæculi Docto-
res, vtriusque censuræ, in Iure, audiret, & quod in æqui,
& boni cognitione, scientiaque deerat, perdisceret. Hinc
studiosissime omnia indagabat, & perquirebat, vsque ad
eo indefessam studijs æquissimarum legum & Canonū
impensens,

O R A T I O

impedens, & dans operam, vt ad improbum laborem, nihil deesse videretur. Atque ideo, breui tempore arcana Iuris cupidissime hausit, vt solidæ, & omnibus numeris absolutæ eruditionis Iureconsultus, & esset, & haberetur ab omnibus.

Erat autem Iuo imberbis adhuc, legitimus, verus, iustus, incorruptus, & idem omnibus, Iurisconsultus, non legum dolor, & calamitas, aut inuersor, qui eo, quod solertia, doctrinaq; præstaret, breui primus, inter togatos, haberi cœpit, opinioneq; Iusticiæ, virtutis, eruditionis, ad extremum vsque floruit, omnis pariter conditionis hominibus secunda fama gratus, & expositus, quâdo iniustas causas planè non reciperet, in cæteris religiosa fide, & integritate, non minus adesset egentibus, vnde nullû speraretur auctoramentum, quàm diuitibus, & opulentis, de quibus crescere posset, quos tamen ipsos, supra constitutum lege honorarium, nunquam onerasse, deprehensus est. Consuetudinem optimam, & lege diuina firmatam, sedulo, sancteque conseruabat, in suscipiendis patrocinijs miserorum, quos tuebatur, & subleuabat. Denique omnibus muneris sui functionibus, planum faciebat, & testatum, beneficentiæ magis, iustitiæque quàm quæstus studio, ad eam, se vitæ rationem, potissimum fuisse inductum. O quàm pulchrum spectaculum, quàm mirabile, quam rarum, tempore nostro.

Papinianus, ab Helio Spartiano, Iuris asylum, & doctrinæ legalis, thesaurus nominatur. Iuo noster, cur non asylum omnium disciplinarum, à nobis appelletur, nō video. In omnibus enim disciplinis, pariter excellens fuit: Anima eius cultui diuino ante omnia vacabat, sicut in sacris scripturis præceptum est, vt quæramus principio Regnum Dei, quo factò, omnia nobis adiiciantur. Spiritus tanti hominis, non nisi patriæ legis, cura erat: Cerebrum, iudiciû perspicax: Oculi, linguaque, doctrina incomparabilis: Pectus, memoria tenax: Cor, recta voluntas: Manus, rectæ voluntatis effectus, Pedes, perseuerantia:

DE VITA D. IVONIS.

rantia: Totum denique Corpus, & homo ipse, nil nisi æquitas, & grauitas.

Hic publicus ciuium, non modo locupletum, sed & penuria pressorum, fuit patronus. Quot miseros, ab iniquis iudicibus miserrimè afflictos, putatis illum suo patrocinio iuuisse, & fideliter defendisse? O pauperum, & calamitosorum refugium. Hic commune erat ciuitatis oraculum. Hic diuinæ mentis, & voluntatis interpres. Quod igitur sydus in cœlo pulchrius esse potest, hoc æquissimo nostro, æquitatis legalis, Doctore? Quod, contrà, monstrum foediùs dicetur, quàm iniquus: oraculorum Iuris interpres?

Abeat in malam rem Anacharsis, qui leges, Aranearum telas esse dixit. Secedant in excrementi thecam, deliri & blasphemi homines, legum Sacerdotem lictori comparantes, minime pensiculantes, sacratissimarum legum originem, Deo immortali acceptam ferendam, ei que consecratam esse, attestante id Moise, qui eas digito Dei scriptas esse, affirmat, Exod. 25. & 31. & Deuterono. 10. Cap. & gloss. in l. i. ff. de legib. Senatusconsult. & lōga consuetud. & C. de Senatusconsultis. Approbant hęc sententiam complures alij, inter quos, & Arabs est Albumasar, qui dicit, eum esse legum omnium principium & finem, qui singulis elementorum, plantarum, brutorum, membrorum speciebus, & vsibus, necessaria prospicit. Multo minus enim Deus, illi speciei, quæ diuinitatem coleret, deesse voluit, legibus sanxiendis, appime hominū saluti necessarijs, qui reliquis speciebus, certas leges statuit, quibus viuerent, & mouerentur. Et dignissima sanè res est, quæ Deitati adscribitur. Ea, nimirum, tota in æquitate, & moderatione, tota in prudentia Iuris, tota denique in Philosophia, & profundissima humani intellectus sapientia, constituta, tota ad genus mortalium gubernandum, & defendendū, excogitata, tota ad vitam, bene, beateq; agendam, ad inuenta est. Nullum Imperiū, nulla res, neq; publica, neq; pri-

Leges à
Deo.

O R A T I O

uata, sine legibus esse diuturna potest. Neque princeps vllus, vastam ciuitatis Nauem, quolibet momento, procel-
lis variorum periculorum, agitatum, atque quassatum,
absque cœlesti flamine & legibus, ad portum perducere
potest. Legum siquidem ordo, & concentus, vt supra me-
minimus, necessarius est, etiam in elementis mundi, in
astris, & pulcherrimo motu eorum, in humoribus, ani-
malibus, & alijs. Quanto magis ergo in hac fragilitate
humanæ societatis, quam sine legibus regere, omnino
non est possibile. Ad sint igitur, & opem ferant Iuriscon-
sulti, Sacerdotes, & pontifices Iustitiæ, humanarum, di-
uinarumque rerum interpretes, & duces vitæ, Deorum
immortalium vices in terris agentes, nec non diuitiarum,
dignitatumque possessores, ex eo, quod leges neminem
in paupertate viuere, neque in anxietate animi, vitam fi-
nire sinant, l. i. ff. de iusti. & iure. & Nouell. de heredibus,
& falcid. in fi. Consti. i. Latissimus hic mihi campus expa-
tiandi patet, & diues dicendi materies suppetit, si euaga-
ri libeat. Verum cum his nunc non sit locus, vnde digressi
sumus, aliquanto, quam par fuit, longius, postliminio
quasi reuertamur.

Ætate maturosciente, Iuo altius secum mente reuoluens,
Iurisprudentiam non modo esse iusti ac iniusti scientiam, sed
& diuinarum, atque humanarum rerum notitiam, & latius se ex-
tendere diuinarum rerum cognitionem, quam ipse ex Pandectis,
& Codice, imo & Decretis, ac Decretalibus patrum, eorum-
que Canonibus, & constitutionibus didicisset. Mysterium e-
nim fidei nostræ intelligebat, quam esset magnam, cui inda-
gando, nulla ingenij vis sufficeret. Simul etiam sollicita me-
tis acie & cura perpendebat, quod Dei filius nos iubeat, scru-
tari scripturas, quæ testimoniū de se perhibent. Et quod
nulli, Christiani nomine gerenti, Christum ignorare liceat.
I. i. C. de summa trini. & fide Catho. Multo minus id per-
missum esse, diuinarum, humanarumque rerum notiti-
am profitenti. Et didicerat ex Canonibus, scripturarum
ignorantiam, Christi esse ignorantiam. c. si iuxta aposto-
lum,

D E V I T A D. I V O N I S.

lum, quod est D. Hieronymi. distin. 38. Atque ignorātem Christum, inuicem ab illo ignorari. c. quia ea. d. distin. & c. fin. 37. distinct. Quamobrē, pluribus de causis, à Iurisperito, etiam sacrorum Bibliorum lectionem efflagitari cognouerat.

Diuino itaque afflatus spiritu Iuo, intelligere cœpit, quàm omnia, etiam optima, in politica administratione, vanitati sint obnoxia. Quàm multa sub prætectu iuris, & æqui fiant, quæ fieri non debebant. Quàm cuncta scateant fucatis actionibus, & simulationibus. Quàm raro Orator, & Iurēconsultus sit vir bonus, integer, & incorruptus. Quàm difficile sit, in hoc ordine picem ita tangere, vt non inquineris ab ea. Sæpe in mentem veniebat, vox Petri Apostoli, dicētis, vix iustus saluabitur, peccator autem vbi apparebit? Considerabat, quàm omnia in hoc mundo essent caduca, momentanea, fluxa, inconstantia, & fragilia. Quoniam omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, inquit Ioannes Apostolus, & Eu-^{1. Ioan. 2.} angelista. Sed mundus transit, & concupiscentia eius, ^{cap.} eodem teste. Et Paulus, electum illud vas, & organū Spiritus sancti, Doctor gentium, inquit, figuram huius mundi præterire. Ac non frustra Isaias propheta exclamat, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Quis ergo diligat mundum magis, quàm Deum? Quis non approbet cum Iuone, diuinam vocem Iōnis, præcipientis, in hæc verba: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Augustinus, lætitiā sæculi, vanitatem appellat. Cum magna, ait, expectatione speratur, vt veniat hæc lætitia, & non potest teneri, cum venerit. Et iterum, Sæculum est, quasi mare. Vnicuique autem sua cupiditas, est tempestas. Amas Deum? Ambulas supra mare. Sub pedibus eius est, sæculi timor. Amas sæculum? Absorbet te. Amatores suos vocare nouit, non portare. Sed cum fluctuat cor tuum cupiditate, inuoca Christi diuinitatem

O R A T I O

nitatem, vt vincas tuam cupiditatem : Et iterum. Vita ista, intelligentibus, tribulatio est. Sunt enim hic duo tortiores animæ, non simul torquentes, sed cruciatus alternantes, scilicet, timor, & dolor. Quando tibi bene est, times. Quando tibi male est, doles. Hæc ille. Quis ergo te, tam cum times, quàm cum doles, eriget? Quis te consolabitur? Nunquid philosophia id faciet? nunquid Iuris prudentia? Certe neutra. Nec enim quicquam veræ consolationis, vt aduersitate, si ea ingruat, non frangaris, vsquam esse potest, nisi in sacris literis. Ibi veri boni cognitio, ibi inuentio, ibi apprehensio. Reliqua omnia, vanitate ipsa vaniora sunt, non res veræ, sed rerum verarum imagines, vel vmbra potius. Quid namque in his omnibus mutationi non obnoxium? Hinc Iuo, suo quodam peculiari acumine ingenij colligebat, vanitatum huius sæculi sectatores, in hac vita quasi somniare. Solos autem illos, qui rerum sacrarum cognitioni darēt operam, aliquo modo vigilare, quantumuis in obscuro speculo imbecillitatis humanæ, viderentur omnia. Præcipue vero, necessarium esse didicerat, vt seipsum prius cognosceret, atque deinde tanto pronius, faciliusque, Deum verè cognoscere disceret. Atque ideo memor inanis auræ huius vitæ, flagranti studio, veræ & solidæ philosophiæ Christianæ, quæ in diuinarum rerum notitia cōsistit, quam sacrosanctam Theologiam dicimus, omnibus alijs scientiarum facultatibus anteponendæ, & perdiscendæ, animum adiecit, vt in ea Deum specularetur, nequaquam hebes, ad sacra illa Bibliorum, & Ecclesiæ Christi mysteria, quasi è fontibus limpidissimis, haurienda, & percipienda. Acri enim cupiditate cognoscendi diuina oracula & dogmata cœlestia, mirè accensus erat.

In præallegato idcirco Gymnasio Aureliensi, celeberrimos eius temporis Theologiæ Doctores, summa assiduitate, & diligentia, annos aliquot audiuit. Insignia quoque Doctoralia, quæ prius in vtroque iure sumpserat, in fa-

DE VITA D. IVONIS.

in facultate Theologica, non minus honorificè adeptus est, testimonium nimirum excellentis eruditionis, tam in iure, quàm sacris literis, & Philosophia. Nemini enim doctrina secundus erat, & facilè quo suis sui temporis Doctores, omni scientiarum genere, linguarum cognitione, eloquentia, sapientia, pietate, & virtutum ornamentis, anteibat, eosque post se, quàm longissimè, & quod dici solet, τοῖς διαπασσῶν relinquebat.

Posteà, cum eruditionis, & profectus sui multa documenta, publicè, & priuatim, extarent, tandem egressus Scholas, Iudex curiæ Archidiaconi Rhedonenfis factus est, cui mediocri stipendio, operam suam, laboremque locauit: non quod vulgus Doctorum facit, vt inexplibili voragine beneficiorum Ecclesiasticorum, præbendarum, Canonicatum, Prælaturarum, & aliarum similium rerum, ditesceret, sed vt iudicia, quæ corrupta videbat, reformaret, & pauperes iniuria afflictos & oppressos liberaret, suoque iuri restituerit. Sciebat enim, se Iusticiæ, æquitatis, & veritatis, non iniusticiæ, iniquitatis, & feritatis, Sacerdotem esse. Atque ideo persuasum fuit publicè omnibus, quibuscunque causis ipse Iudex sederet, fore, vt certissimum ius, & iusticia contingeret ijs, de quorum re disceptaretur. Itaque ab omnibus ordinibus summis, & infimis, opera eius expetebatur, & celebrabatur ab ijs, qui intelligebant singularem eius in legibus interpretandis, & æquitate explicanda, scientiam, ac dexteritatem. Et erat hic reuera, quod sapiens antiquitas, in Seruio Sulpitio prædicauit, non magis Iuris, quàm Iusticiæ consultus, quod ad æquitatē referret omnia, & hoc omni conatu ageret, vt controuersia, & lites inter homines, aut auerterentur, aut piè, & iustè tollerentur, atque Ius, & æquum fieret omnibus. Idcirco & in forma precum, qua utebatur, inter alia, quotidie à misericordia Dei veniam sibi petebat, si fortè inferendis sententijs durior, aut in controuersijs dijudicandis incautior fuisset, atque ita, per errorem, in hac parte commisisset aliquid. Hoc verū

B est iusti-

O R A T I O

est Iustitiæ Sacerdotem esse. Memorabilis hæc modera-
tio, etiam in moribus, & vita Iuonis, eluxit. Sicut enim
mens eius, & iudicium rectum, ita mores casti & pro-
bi erant, atque placidi, & humanitas singularis, & inter
hæc tamen grauitas, tali viro, & professione digna. Vere
enim, illam difficilem, humanitatis & grauitatis con-
iunctionem, in vita sua consecutus fuit.

Quoties nõ Iudicis, sed Aduocati officio fungebatur,
non erat in promittendo fideli patrocínio turgidus, aut
gloriosus, vt victoriam causæ ad emulgendũ tanto ma-
iorem vim pecuniæ, quod non raro fit ab alijs, cuiquam
facile promitteret. Sciebat enim, quam dubius plerunq;
esset litis euentus. l. quod debetur. ff. de peculio. Modeste
tamen recipiebat, se omnia facturum, quæ bona consci-
entia, & de iure posset. In se nihil desiderandum, quod
ad diligentiam, in causa adhibendã, attineret, nec quie-
quam commodi, clientibus in se claudi debere, quo mi-
nus omnia ad bonum, optatumque exitum, & finem
dirigerentur. Cum nemine quoque, de litis quota pactus
est vnquam, vt contra leges ageret. l. sumptus. ff. de pactis.
l. si remunerandi. §. pen. ff. mandati. & l. litem. C. de pro-
curatoribus. & l. si qui. & ibi. Bartol. C. de postulãdo. Ne-
que eò dementiæ, & malitiæ delapsus fuit, toto vitæ suæ
curriculo, vt sumptis ab vtraque parte muneribus, con-
sulendo, non modo animam suam inferno deuoueret,
sed & infamiam, ac legũ pœnas incurreret. l. athletas. §.
penul. ff. de infamibus. Mediocri fortuna facile conten-
tus erat, suoque vsus consilio, eundẽ vitæ tenorem per-
petuò seruauit, & in procuranda Domini sui Rhedonen-
sis prouincia, ac Diœcesi, integra fama, atque existimati-
one conspicuus, ac clarus, summa omnium ordinũ gra-
tia creuit. Qua in statione, quàm multa præclarè, sapien-
terque prospexerit, dixerit, gesserit, quàm in capiendis
consilijs prouidus, in dandis fidelis extiterit, quanta de-
nique æquitate, summos cum infimis, pari iure, copula-
rit, quantumque claruerit, tum ad Deum pietate, tum ad
homi-

DE VITA D. IVONIS.

homines opinione iustitiæ, ac prudentiæ, verè, quòd dicitur, *χρησὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθόν*, quis facilè enunciet? In vita priuata non fuit alius domi, quàm publico in cõsilio foris. Nam eodem seueritatis, comitatisque temperamento, vt communes, sic priuatas actiones, dispensabat. Ac velut palàm omnia sentire, dicere, & facere, consuevit, quæ ad salutem Reipubl. & ordinum concordiam pertinerent, *μάχας κωλύων λόγῳ*, ita domi herus erat, virtutis, pietatisque magis, quàm asperitatis opinione, reuerendus. Conuiuia, & conuiuator, iuxta suauis, ac frugi admodum, & ad miraculum vsque, perpetua sibi sobrietate, constans, qua bonitate id erat consecutus, vt familia eius, quandam Ecclesiæ, aut Academiæ benè institutæ, faciem representaret.

Cùm amicis tam beneuolè, atque officiosè vivebat, vt nihil eo fingi posset humanius, nihil integrius. Quando cum amicis, animi gratia, conferebat, nulla dere libentius, quàm de perpetua Ecclesiæ Historia, aut de Monarchijs, conuersioneque Imperiorum fatali, aut de Heroicis, insignium virorum factis, atque factis, differebat. Quo in genere, non tantum historiarum cognitio, rerumque maximarum vsus, verum & pietas eius, ac prudentia, rectitudo item iudicij, & integritas animi, facilè elucebant. Ac sæpe dicentem audiuisse amicos ferunt, quoties quereretur de iniustis quorundam odijs, & violentis machinationibus, quibus afferri bonis consilijs, vis posse aliqua credebatur, se mortem malle oppetere, & extrema quæque perpeti potius quàm vel latum vnguem ab honesta sententia discedere.

Discant hinc Iureconsulti & Iudices, seu officiales Archipræsulum, & Episcoporum, alijque Curiales, & flamines nostri, qui discoli, in officijs, sibi commissis, esse videntur: discant, inquam imitari indefessum discendi studium, laborem improbum, diligentiam, ac solertiam, doctrinam, vitam, mores, pietatē, sobrietatem,

O R A T I O

temperantiam, moderationem, & iustitiam Clarissimi Iuonis: & meminerint, Turpe esse Iudici, siue is Ciuilis, siue Ecclesiasticus sit, ius ignorare, in quo versatur, & sine lege in iudicijs loqui, quemadmodum Q. Mutius, rectè respondit, Seruio Sulpitio. l. 2. §. Seruius. ff. de origine iuris. & in Authen. de iudicibus. & in Authen. de triente & semisse. §. consideremus. col. 3. Discant temporis rationem habere, vt si quid à functionib. publicis, reliquum fortè temporis fuerit, id omne, studijs pulcherrimæ cognitionis optimarum artium, Iuris, sacræque scripturæ, tribuatur. Discant ex hoc perfectissimæ integritatis speculo, ocium, aleam, venerem, gulam, ebrietatem, & reliqua id genus flagitia, animam inficientia, fugere.

Tandem, cum Iuo, qui verus Iuriconsultus, diuinarum simul, & humanarum rerum peritus esse potius, quàm quàm haberi malebat, succisuis horis, quib. ab alijs functionib. publicis, & priuatis, ab operibus iuridicis vacationem haberet, sacræ Theologiæ non segnem operam dedisset, & iam solerti studio aliquò progressus esset, ac operæ precium non mediocre fecisset, vt putaretur, non in postremis Theologorum haberi posse, eruditionis suæ specimen publicè disputando, ædere iussus est, quod cum diu, multumque recusasset, tandem præceptorum autoritate victus, ita præstitit, vt omnes, quotquot aderant, mirarentur. Sic enim memoriter omnia argumenta complexus est, eo pacto obiecta collegit, collecta distinxit, distincta refutauit & soluit, vt cõmuni applausu eruditissimus Theologus renunciaretur. Cuncta namque ita illustrabat oratione & discutebat, vt non humana esse, quæ diceret, sed oraculi instar, de occulto quodã, & propè diuino pectoris thesauro, de prompta, haustaque viderentur.

Hæc virtus, atque doctrina, viri tanti diu latere, & occulta esse non potuit. Atque ideò fama, de excellentia Iuonis, euestigio per omnium ora volitauit, etiã in longè, lateque distitas Regiones, & dicto citius, ad Antistitẽ
Treco-

DE VITA D. IVONIS.

Trecorenses peruenit, qui Clarissimum hunc virum, ut Diocesis suae Iudex ordinarius esset, honorifice vocauit, amploque stipendio conduxit, & summo loco constituit, quanquam diu, multumque reluctantem, quod se tanto fastigio indignum, & oneri subeundo imparem iudicaret, Horatiani illius memor, versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri. In hac commissa sibi prouincia ita versatus est, ut omnibus charus, nemini grauis esset. Spartam quam nactus erat, ornabat summa diligentia, fide, sapientia, & assiduitate. Stateram equitatis semper, quasi in manu, gestabat, qua res aequali lance librabat, ne cui forte iniuria fieret. Si quando causae arduae offerebantur, quibus se non sufficere existimabat, consilium se prudentiorum, implorabat, sine quorum arbitratu, in grauibus causis, nihil agebat, nihil decernebat. Veritatem ipsam non verborum lenocinia curabat, nec ventilabat. Prae iudicio neminem grauabat. Cuncta debito ordine rimabatur, ac sufficienti inquisitione singula discutiebat. Mira patientia praeditus erat, siue quis importune interrogaret, siue responderet, siue quippiam obijceret. Mirum quam iuste iudicaret, qui non habebat in semetipso, quod condemnaret. Quae in alio punienda ducebatur, eadem non patrabatur ipse. Nullo odio, nulla offensa, nullo denique vitioso affectu, aut leuitate, ducebatur grauissimus hic Iustitiae Antistes. Sanctus plane erat, & incorruptus, constans, immotus atque in sceleratos, & improbos, seuerus, strenuus, & erectus, potenteque vi, & maiestate aequitatis, veritatisque, omnibus, qui iustitiae tramite relicto, perperam, maleque agebant, terrificus & horrendus iudex. An non bonum hunc iudicem dixeris, qui nihil ex arbitrio domesticae voluntatis agebat, sed omnia legibus & iuri consona, conformiaque pronuntiabat. Verus hic erat iudex, non fictus, quales non paucos, passim videas, qui ea, quae in iudicio determinanda sunt, aut ab alijs discunt, aut quasi stupefacti, tam clamore postulatorum, & rabularum forensium permoti, quam

O R A T I O

ignorantia sua, sententiam, minus æquam, in iudicio ferunt.

Discite hinc, Iudices, discite quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Munera, Iuo, quod vos sæpenumero facitis, non attendebat, non curabat, nō amabat. Nec enim *δαρροφάγος* erat, sed ab hoc scelere alienissimus, & mundissimus deprehendebatur. Haud enim secus pecunia domari potuit, quàm Ajax ferro. Nihil præcepit alijs, quòd factò ipse non adimpleret.

Sic censura agitur, sic, sic exempla parantur,

Cum iudex, alios quod monet, ipse facit.

Si quando contingeret, quod fit, vt sibi immerenti, iniuria inferretur, ingenti animi moderatione, & tolerantia plusquam humana, ferebat omnia, & supprimebat, dicebatque frequenter, in hoc casu, quod iniuriam inferens alijs, sibi ipse faciat iniuriam, quæ in eundem, quasi pila, in iactorem, resultare soleat. Addebat etiam, nō esse sapientis, nequam homines magnifacere, aut iniurias, ab ipsis profectas, vlcisci, cum paulò post, Deus ipse iustissimus vindex scelerum, vlciscatur iniurias, ab hominibus flagitiosis, bonis viris illatas. Quare nec fortis habendus sit is, qui iniurijs vulneribus inflictis, succumbat, & non potius ea superet. Superat autem, qui ita resistit, vt ob iniuriarum impetum, è suo statu non moueatur. Hinc Iuo noster, persecutoribus suis, & omnibus, qui sibi iniquiores, aut iniurij erant, æqua mente, & ingenuè indulsit, siquidem ab Augustino didicerat, Neminem vnquam reuerà se excusare posse, qui maleuolis non ignoscat, cum non de penu domus nostræ, nec cellario, sed de cordis promptuario, illam elemosynam implere iubeamur. Atque si philosophi, veteres illi, in omni scientiarum genere, absolutissimi viri, qui Deum verum, patrem Domini nostri Iesu Christi, ignorabant, atque in quem finem, actiones virtutis dirigendæ essent, omninò non nouerant, atrocissimas
iniu-

D E V I T A D. I V O N I S.

iniurias, pro acquirenda sibi humana, & peritura gloria, floccipendere potuerunt, eò quod id sapientibus viris, summa laude dignum videretur, quia à multis præstari hoc ipsum nequiret, Quid nobis Christianis, faciendum esse putatis, qui sub vexillo Christi militamus, qui totius perfectionis Ducem, ac Magistrum sequimur, quibus magna etiam præmia, si iniurias dimiserimus, proposita sunt, Seruatore dicente, Si dimiseris hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Breuis & compendiosa nobis via à Christo, quasi digito monstratur, ad diluendas sordes nostras, quam si quis, auiditate vindictæ motus, neglexerit, veluti seruus ingratus, iubente Domino, tortoribus tradetur, quoad vniuersum reddiderit debitum: nec egredietur è carcere, vbi fletus est, & stridor dētium, donec nouissimum soluerit quadrantem.

Quis ergo ad eò demens, insanus, ac insulsus erit, vt pro magnis sceleribus, quæ ipse in Deum admisit, pauca quædam, & exigua errata, dimittere proximo suo nolit? Si quis talis est, is profecto, amaro & acerbo corde, susceptæ iniuriæ memoriam, secum tenaciter & irremissibiliter retinet, & in visceribus gestat, atque execrabili odio concepto, intimisq; præcordijs affixo, damnabile animæ suæ, & malum certamen certat, quo alios pronocat, ipse contabescit, atque consumitur, & malevolentia vngulis, veluti intestinis cruciatibus, die, nocteque laceratur, & discerpitur. Quisquis ille sit, qui talis probatur, protinus de Ecclesiæ limitibus, & à communi fidelium consuetudine, ac confortio, quemadmodum Patrum sanctiones, & decreta statuerunt, & mandarunt, eijciatur, atque eliminetur. c. nolite. & c. inter. 12. q. 3. & c. porrò. de pœni. distinct. 1.

Vos autem, viri Clarissimi, diui Iuonis exemplo si inter filios Dei, cum ipso, cõnumerari cupitis, illatas iniurias,

rias,

O R A T I O

rias, vt fortes & magnanimos decet, obliuioni tradere, & æmulis pro maleficijs beneficia reddere conuenit. At vero hoc nequaquã facilè est, inquis, imò & indignum, vt qui plurima alijs intulerunt damna, ipsi non multa, ab ijs, quibus nocuerunt, vicissim incommoda, & mala, domum reportent, ac patiantur. Verissimum istuc abs te dicitur. Fatemur vtique. Verùm hoc loco nunc opus nō est, horum exempla lōga serie, & prolixo sermone, prosequi, ac acerbius insectari, qui nostrum caput, genium, & numen, iniurioso ictu vulnerarunt aliquando. Viderint ipsi, quia semet sautiauerunt. Si meliores fuissent, melius, atque prudentius egissent. Consilium tamen calumniatoribus, si id patiantur, damus, ne temerè in bonorum virorum agros hastam conijciant. Animal quippe nullum tam inualidum esse cōstat, quod irritatum, non excandescat tandem, nec quisquam feritur audacius, quàm qui non referit. Nos neminem in vita libenter offendimus, nec offendemus, quantum omninò fieri potest vnquam, nisi defensionis iustæ, & inculpatæ iura, id nos facere compellant. Publicè notum est, nos à quibusdam nebulonibus impiè offensos & vexatos esse hactenus sæpiuscule, etiam si hoc ipsum, quod de nobis calumniatores isti turpes, mētiti sunt, à nostris moribus semper fuerit alienissimum. Cæterùm publicæ tranquillitati (ne turbas daremus, & Tragicos motus excitaremus) in super & communi honestati (quo pepercimus honoriorum, qui indigni erant) piè & syncerè condonauimus omnia, inque his etiam, atrocissimas & virulentissimas læsiones, adeoque lethifera vulnera, quæ nobis ab Aduersarijs dictis, diabolicè inflicta fuere. At redeamus, vnde longiuscule iam digressi sumus, ad certæ narrationis ordinem, vt non pauca paucis comprehendamus.

Diximus suprà, Iuonem, per omnia, veræ pietatis studiosissimum in vita semper fuisse, memorem vocis Paulinæ, Pietas ad omnia utilis est. Nec ociosa fuit in eo pietas, quod minimè simulata esset, sed omnis generis bo-

nos

DE VITA D. IVONIS.

nos fructus, bona arbor proferret, sobrietatem, temperantiam, humanitatem, benignitatem, facilitatem in omni congressu, miram moderationem affectuum, quos dominari rectæ rationi non permisit, unde ad miraculum usque constans patientia, in corde, atque animo ipsius nata est, qua multa mala sopiuit, & Principi suo pepercit, ne tumultus excitaret, & negocium Præsuli faceretur, ob priuatas iniurias, & cupiditates: quod quidam faciunt, qui cœlum terræ, ob quasuis etiam leuiculas iniurias, miscent, & execrandas Tragœdias in Rebus publicis, & Ecclesijs excitant, multosque offendunt, & Principum animos fauciant, illisque plurimum molestiæ inferunt, dum libellis, contradictorijs scriptis & litibus, hinc inde vexantur. Verum hi, quàm toto cœlo errent, manifestum est, siquidem opera carnis sunt, quæ repugnant spiritui, & præmium habent, æternam damnationem.

Non talis Iuo noster erat, qui diuina potius quàm humana animi mansuetudine præditus fuit, usque adeò, ut nemo ferè ab eo mœstus, tristisue recederet, nisi qui malam causam foueret, & admonitus, resipiscere nollet. Acerimus enim vindex existebat eorum, qui iniustitia, aut vi, opprimebantur. Clemens autem, & pius, pauperum, inopumque, & omnium miserabilium personarum, defensor erat. Gancones, Surras, Sicophantas, & adulatores, minimè ferebat: Adulationem, ut blandam, ita callidam, & insidiosam, semper iudicabat, sicut D. Hieronymus, Adulatorem, blandum inimicum esse dixit. Et Antisthenes Philosophus, præstare putabat, in coruos, quàm in Adulatores incidere: siquidem ab istis mortuorum cadauera, ab his verò viuorum honores, & bona, deorentur. Seruile hominum genus est eorum, qui adulantur: & nulla pestis in amicitijs maior & perniciosior, quàm adulatio, blanditiæ, & assentatio, teste eloquentiæ parente Cicerone.

In aulis Principum hodie potissimum dominantur, pestilentissima, & detestanda hominum genera duo, As-

C sentatores,

O R A T I O

sentatores, videlicet, & obtrectatores, seu Calumniatores. Adulatores, mensæ seruiunt, atq; ventre, obscœnisq; voluptatibus, summum bonum, ac fœlicitatē metiūtur, & aures dominantium, blandiendo demulcent & palpo feriunt. Calumniatores & obtrectatores, detrahunt bonis viris clam, & apud patulas principum aures susurrando efficiunt, vt innocentes, & integri, repente explodantur, atque aulis eiciantur, veluti omnium improbissimi, & & sceleratissimi. Tantum mali, atra serpentum aulicorum lingua, vibrando patrat, vt contracta tabe, adurat passim indignis modis detrahendo bonis, & pijs viris. Inde est, quod Homerum legimus, obtrectationis malo, oculis captum esse, quod & alijs contigit, vt constat ex Historijs. Atque ideo Iuo, vir summa prudentia præditus, Susurrionibus, atque assentatoribus, fenestram præcludebat, eosque quouis modo abigebat, & à domo sua arcebat, indeque quã longissimè abesse volebat, ne Gnatores ad se agminatim confluere, irrumperentq; vt sit apud plerosque, in magnis prouincijs, & muneribus constitutos. Quare secum habitabat Iuo, & Noscebat seipsum, quod perquam rarum est in illis, qui potentia, & auctoritate pollent, plurimumque præ cæteris valent.

Non erat leuis in credendo. Et si quando omnino accideret, vt quis apud se deferretur, pensitabat, summa integritate, fide & diligētia, nunquid vera esse possent, quæ detractor, seu delator in sinuasset, nū, quæ assentator extulisset, & magnificè laudasset: talia essent, qualia ipse dixisset. Hæ virtutes non sunt vulgares, quibus Iuo noster, omnibus Iureconsultis, Doctoribus, officialibus, vicedominis, & vicarijs, siue in sæcularibus, siue Ecclesiasticis muneribus sint constituti, quasi antesignanus aliquis magnificus, præsit, & exemplo est, quo velut in speculo, quilibet Præses, seu præfectus, cuiuscunque ordinis, videat, & contempletur, quomodo Spartam, quam quisque natus est, ornet, & suo officio, ac muneri, ita præsit, vt Deum non offendat, nec proximum contra æquum & bonum

num

D E V I T A D. I V O N I S.

num lædat. Si enim læsus fuerit pauper innocens, aut oppressus iniusticia, clamabit is ad Deum, & ille exaudiet clamantem, & vindicabit eum ab iniuria illata. Quàm autem durum sit, incidere in manus vindicantis Dei, obferuent, secumque p̄sent, qui ad gubernacula Reipubl. positi sunt, vt quod æquum est, iudicent.

Porro Iuo, cum intelligeret, hominẽ præcipue ad Dei cognitionẽ, veramque inuocationẽ & cultũ ipsius conditũ, ac natum esse, non vt in hac vita, & mundo, opibus & dignitatibus inhiaret, sed vt contẽplatiuæ vitæ, in honorẽ Dei, & animæ suæ salutẽ, studeret, quæ actiuæ tantò præstantior est, quantò oculus præstat cordi, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis, omnibus quæ diriguntur ad ipsum, status, motui, æternitas tẽpori. Neque enim profecto, vlla re alia, cognitionẽ summi boni affequemur, quàm si præclusis sensibus, in vera æternitatis luce, & cœlestis gratiæ nobis per Christum partæ, assidua cõsideratione, acquiescamus. Hoc enim doctrinæ & contemplationis genus, omni antiqua doctrina antiquius est, in qua patres Abraham, Isaac, Iacob, omnesque Philosophi, Socrates, Plato, Aristoteles, & alij, consenuerunt. In hoc quippe purgandus est mentis oculus, vt remotis caliginosis ac vitiosis humanæ rationis humoribus, sordibusque, dirigi in ipsam diuini Solis lucem ritẽ possit.

His Iuo, summa animi contentione, ad amissim perpenſis, singulisque probè pensiculatis, cū & Theologiæ cognitionẽ, cum Iurisprudẽtia cõiunxisset, etsi sublimioris dignitatis culmen attingere quã facillimè potuisset, noluit ad maiora adspirare, experientia, nõ leui doctus, quòd raro per dignitatis gradus ascēdat homo, qui multò grauius non descendat. Quantò enim altior ascensus, tantò durior casus. Quocirca bona Præsulis Trecorensis gratia, ad Ecclesiam Iohennecensem, in eadem Diocesi sitam, cuius Rector erat, se contulit. Cuidam exprobranti, quod dignitates respueret, cū tam sacrosanctæ Theologiæ facultatis, quàm vtriusque Iuris Doctor esset,

C

2

& tuen.

O R A T I O

& tuendam auctoritatem, existimationemq; sciret, iuxta illud, Tanti alijs eris, quanti tibi fueris: Item, Nemini des honorem tuum, adeo sapienter respondisse fertur, ut ille, qui exprobrarat, iam nihil porro dubitaret, in onem nec dignitates, nec diuitias appetere, modo Deo, & contemplationi, studiisque diuinarum, & aliarum bonarum rerum, vacare posset, præ quibus facile omnes honorum fumos, & dignitates negligeret, & floccipenderet.

Episcopus Trecorensis, magnam sibi vim pecuniæ, gratitudinis ergo, obtulit, quam repudiauit, inquiring, non esse sibi crumenam, ubi conderetur. Tot, tantisque à Deo ornamentis præditus, nunquam intumuisse animo visus est, ut semper se ipso abiectior, omnia propter Deum Religionemque facillimè contemneret.

Tandem, cum abdicatis rebus politicis, & mundanis, se totum ministerio diuini verbi, & sacrorum, dedisset, sacrosanctum Dei Euangelium, ipse personaliter, quod aiunt, populo prædicabat, atque annunciabat, non utebatur substituto, quod plerique faciunt alij, qui parochianis suis, proh dolor, ac pudor, per vicarios concionantur. Taceo, quod hi beneficiorum inundatione satiari non possunt, minimè librantes, quod plura beneficia Ecclesiastica possidens, mortaliter peccet, iuxta Canonum decreta, glo. in c. dudum. cle. 2. de elect. Videbunt tandem isti, quem vicarium inuenturi sint, quando de admissis noxis, & sceleribus, iustas Deo poenas dabunt.

Principum mores liberè solebat reprehendere, sedulo inculcando illud Ioannis Baptistæ, Non licet tibi. Item, Tales fieri subditos, quales sint principum mores. Eadem fide docendo urgebat, oportere Principes benignos esse, & clementes in subditos non eos expilandos, & exhauriendos, sed potius cogitandum, Diuitias Principis esse, opulentos subditos, simul & Tyberianum illud Prouerbum memori mente reuoluendum, quod boni pastoris sit, tondere pecus, non deglubere. Nam & ita boni Principis esse ferebat, apud subditos, & amicos, thesaurum habere,

DE VITA D. IVONIS.

bere, quòd Principes, non pecuniarum defectu, sed à amicorum penuria, interire soleant, cuius rei, quàm plurima in conspectu sint exempla. Decere igitur, vt principes ament subditos, & sapientes honorent. Potentiam enim, expertem sapientiæ, quo maiorē, eo perniciosiorem esse.

Fideles quoque Doctores verbi diuini, & dispensatores mysteriorum Dei, beatos dicebat, quod illis lex, Deus sit: Beatum item populum, qui audit verbum Dei, prolaturū ab ore pij & fidelis Ecclesiastæ.

Recedentes à norma Catholicæ, & Orthodoxæ, receptæque ab Ecclesia, doctrinæ, grauitè increpabat, & quantum poterat, qui exciderant, reuocabat. Si post vnam, atque alteram admonitionem, redire in viam sanæ doctrinæ, eamque audire nolebant, deuitabat eos, & erant sibi, tanquam Ethnici, & publicani, quos ne saluatione quidem, ex præscripto Pauli, dignabatur.

Pius erat, per omnia, Ecclesiæ Doctor, qui docendo, oportune, importune instabat, vt multos Christo lucrificeret. Præibat non modo verbo, sed & vitæ, ac bonæ conuersationis exemplo, multis excellentibus virtutibus præditus, vir Dei. Imprimis autem & ante omnia, sanam doctrinam retinebat, ac tuebatur, iuxta perpetuum consensum Ecclesiæ, consonum doctrinæ Christi, Apostolorum, & prophetarum, à quo, ne latum quidem vnguem, recedebat, sed omnia ad hanc amussim refecabat.

Bona paterna, quæ iure hæreditatis possidebat, in pios vsus distribuit, totumque patrimonium, ad pias causas erogauit. Cultu utebatur in vestitu admodum simplici, non ad ostentationem comparato. Quod ad victum adtinebat, frugali mensa contentus erat, non instituebat Apicias, aut Pontificias cœnas. Temperatè viuebat, tantumque cibi, & potus, quotidie sumebat, quantum, non ad luxum, & voluptatem, sed quantum & necessitatem, & sustentationem corporis, sufficiebat. Et semper appetitui locum relinquebat, nec vnquam ad satietatem usque se explebat, memor Ouidiani illius:

O R A T I O

*Nēne diu præsume dapes, sed desine citra,
Quam cupias paulò, quam potes, esse minus.*

Vescebatur cibus, facilis digestionis, qui non grauarēt sensus, nec ingenio, aut memoriæ obessent, sed homini studioso conuenientes haberentur. Modico vino utebatur, propter stomachum, quod Paulus Timotheo suo præcipit. Nemo hominem vnquam ebrium vidit. Hinc ebriosis, & helluonibus, mirè infestus erat. Sacerdotes, ebrietati, & luxui deditos, execrabatur, quod suo ordini non leuem inurerent notam, obliti, non modo Canoniarum sanctionum, sed & illius, quod Anacharsis Philosophus dicere consueuerat, vitē tres vuas producere: primam voluptatis, secundam ebrietatis, tertiā mœroris. Vnde Ausoniana sententia, ex Flacco, Ter bibe. Et quod lege symposiaca, prima Cratera faciat ad sitim, secunda ad hilaritatē, tertia ad ebrietatem, quarta, ad insaniam. Assidue igitur luo sonabat, Sobrietatē omnes homines decere, maximè verò Presbyteros, & alios eruditos viros, principes, & eorum consiliarios, vt mensalacrior sit, & acrior, ad consilia subeunda, siquidem immoderata vini ingurgitatio, non parum aciem ingenij obtundit, & quasi nebulis quibusdam obducit, vt hæbetior fiat.

Porro, quia mira eius fuisse fertur vitæ sanctimonia, miraculosis quibusdam actibus, in vita claruisse perhibetur, quod verisimile sit, cum mirabilis sit Deus in sanctis, & Electis suis, ac mirabilia sint opera ipsius, promissioque Dei stabilis sit, & firma; quæ inquit, Maiora his facient. Et, Si habueritis fidem, sicut granum sinapi, dicetis monti huic, transfer te in mare, & faciet.

Corpus suum decenti abstinentia macerabat, à contemplatione rerum diuinarum nunquam ociosus. Nec tamen familiaribus, ac domesticis macilentior videbatur. Hæc duo, die noctuque comitatum illi præbebant, Prudentia & fortitudo. Quies, & somnus,
-breues

DE VITA D. IVONIS.

breues illi erant. Quotidie in vnicam stabilemque mentis speculam secedebat, vbi inuisibile illi protinus lumen illucescebat, iuxta verbum Christi, Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consumationem sæculi. Et alibi: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros, in viam pacis. Etiam si autem rebus sæculi vale dixisset, non poterat tamen, quoties sic vsus ferebat, quin egenis patrocineretur, quos iniustitia opprimi non patiebatur, vnde & Aduocatus pauperum, quod suprà meminimus, ab omnibus dictus est. Nam horum miserijs, & calamitatibus, vudequaue subueniebat. Atque vt id commodius faceret, ædes magnifico sumptu, suis contiguas, extruxit, quas egenorum refugium vocauit, vbi pauperibus largissimè ministrasse memoratur. Nonnunquam vel Homericæ Iro pauperior fuisse legitur, quod omnia sua, in vsus pauperum, ac piam Eleemosynam erogaret.

Atque vt tandem dicendi finem faciamus, omniaque breuiter, vno quasi verbo comprehendamus, Colophonis loco significare operæ precium fuerit, Iuonem, sua pietate, & virtute, tantum, apud omnes mortales sui temporis nomen sibi comparasse, vt iam, pro Heroe aliquo, diuinitus excitato, & orbis lumine, ac sciētiarum quasi Monarcha haberetur, vnusque sapientissimus iudicaretur, vt quem neque metus exanimaret, neque dolor excruciat, neque voluptas corrumpere, neque libido inflammaret, qui inter densissimas spinas, molles, suauissimi que odoris, in vita, colligeret flores ac rosas, qui ex stercore Margaritas erueret, effoderetque è scœno aurū, qui in profundis, densissimis que, vel solus videret, tenebris. Quis, hoc Iuone nostro, in periculis, rebusque dubiis, & formidandis, fortior vnquam fuit? Omne discrimē, summa virtute animiq; constantia superauit, nullis vnquam minis fortunæ, nulli temeritati succubuit, spiritus diuini sedulo afflatus gratia.

Postre-

O R A T I O

Postremò, cum multa præclarè, pieque ègisset in vita Iuo, fideliterque per multos annos præfuisse, ac multo cum fructu docuisse, in Scholis, & Ecclesia, tandem in febrim incidit. Diuinitus autem commonefactus, de hora obitus sui, cõuocari ministros Ecclesiæ, & Scholæ iussit, eisque blande, & grauius significauit, se propediem, ex hac lachrymarum valle, ad æternam societatem Angelorum, & ciuium cœlestium, migraturum esse. Ideoq; vehementer monere se, & cohortari fratres, vt charitatẽ inter se mutuam, sedulo colant, atque obseruent, qua nullum excellentius sit donum, quæ sola, teste Augustino, inter filios Regni perennis, & perditionis æternæ, diuidens Deum proximumque diligere nos faciat, vtque opera nostra Deo accepta sint, disponat. Nam reliquæ omnes, nudæ sint, & mancæ virtutes, sine charitate. Adiunxit etiam grauem admonitionem, vt ocium, tanquã Sathanæ puluinar pestilentissimum, & hostem inimicissimum, fugerent, cuius hamus in ocio, velut in cibo, delitesceret.

Eucharistiam cum postulasset, eiusque sibi copia facta esset, accepto viatico, prostratus, filium Dei, his vocibus compellat, ac affatur: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere mei, miserere, & dona pacem animæ meæ, ô mundi precium. Te legi, te didici, te vidi, te amaui, te docui, & prædicaui, te solum magnifeci, te adorauit. Te scio iudicem meum, assertorem meum, liberatorem meum esse. Tu mihi dux fuisti in vita, tu idem sis in morte. Omnibus denique ritè peractis, quæ ad iter, ex hac vita, pertinent, interrogat Diaconus, nunquid porrò velit, Nihil inquit Iuo, nisi cœlum. Omnia paulò post aderunt. Et adfuere, non ita multò post, omnia sibi, nec defuit quicquam, cum Deo, animam commendatam, reddidit, quæ nunc cum Christo viuit, & regnat, in beata illa, supernorum popularium Ciuitate, Ecclesia, & Schola, vbi iam cum omnibus electis, æterno Dei conspectu, & beatissima consuetudine fruitur. O foelicem obitum, ô gloriosissimam

DE VITA D. IVONIS.

fissimam serui Christi emigrationem vita temporalis
extinguitur, æterna reparatur. Quanta igitur dignitas est,
quantaue prosperitas, exire ex hoc corporis ergastulo læ-
tum dimittere mundo hoc terrestre ac fragile Domini-
um, & immortalem Deo reddere spiritum, æternis man-
cipandum gaudijs. O vera beatitudo, quæ sine caret.

Decessit autem piè in Christo, satur annis, cum nona-
gesimum excessisset ætatis suæ annorum curriculum,
decimo quarto Calendas Iunij. Anno reparatæ salutis
humanae, millesimo trecentesimo quadragesimo secun-
do: Terræ traditus, atq; sepultus est, in Cathedrali Eccle-
sia Trecorensi, cuius Præsuli, summa cum laude, multos
annos, fidelem consulendo dederat operam.

Hæc sunt, quæ de Iuone dicere instituimus. Superest
nunc auditores monere, vt Iuonis nostri, quem verè Sa-
cerdotem Iusticiæ, rerum diuinarum, atque humanarū,
notitiam, iusti & iniusti scientiam habentem, dixerim,
exempla vitæ imitentur, quibus omnibus Iureconsultis,
quasi speculum in quod intueantur, se præbuit, maximè
illis, qui iudicia Ecclesiastica exercent. Quanta in his li-
centia sit, quanta corruptio, quanta denique enormitas,
& peruersio, quis non videt? Consulere debebant Reipu-
blicæ, ipsi vero sibi consulunt. Tu qui hæc facis, an Iuo-
nem te imitari censes? Imò potius Iudam proditorem
Domini sui imitaris. An quæso putas, bone vir, te Iuda
præstantiorem, aut meliorem esse, qui falso ludis confi-
lio, qui veritatem suppressis, pecuniã arripis, & captas,
cui omnia iura venalia sunt, qui inter collegas discordi-
am seminas, minimè memor, discordiam, & simulta-
tes, in collegijs, Communitatibus, Vniuersitatibus, Ec-
clesijs, Rebus publicis, & Scholis, tanquam pestes exitio-
sissimas, vitandas esse. Quemadmodum vultur hinc in-
de volas, vt laceres pullos, vt nummos extorqueas, vt ti-
bi colligas. Recipis pecuniam, & admittis ignominiam:
amas denarium, & toleras fornicarium: tollis munera,
& peruertis iura. Citas, mones, excommunicas, aggrauas,
D reagra-

reaggrauas, relaxas, interdicas. In his omnibus, non Dei gloriam, sed solum lucrum quæris, pecuniæ seruis, & innumera mala propter hanc, committis. Omnia beneficia Ecclesiastica ad te solus rapis, inque his omnibus, tuis artibus, quas non nisi peruersas dicere possumus vteris: transpositionibus nimirum, permutationibus, resignationibus, & similibus, quibus in numeris vales, quo quis ludens. O tempora, ô mores, ô Principes, qui has nequitias scitis, intelligitis, videtis, & toleratis. Verum hæ non sunt Iuonis artes. Alijs, illustribus, & Deo gratus, acceptusque fuit ille, videlicet, artibus veræ pietatis, fidei, charitatis, spei, ardentis inuocationis, indefessi studij in diuinis, ac humanis rebus, mansuetudinis, longanimitatis, patientiæ, tolerantia, temperantiæ, prudentiæ in consulendo: scientiæ, doctrinæ, & eloquentiæ in orâdo. Has artes discite Officiarij, discite præsides, discite Commissarij, discite Consiliarij, discite Iureconsulti, & cogitate, Deo aliquando rationem reddendam esse omnium, quæ administrastis. Quod si feceritis, veri Iuonis imitatores, & vtilia vasa, ac salutaria eritis organa, in conspectu Dei, qui vobis aderit in consilijs, & omnibus actionibus conatibusque vestris, quas sua ope iuuabit, vt sint foelices & auspicati. Sine ipso enim nihil possumus, nihil valemus, nihil scimus, cui laus sit, & gloria perpetuò.

DIXI

ORATIO FVN EBRIS

DE VITA, ET OBITU REVE-
RENDI, ET CLARISSIMI VIRI, D. EOBA-

NI ZIGLERI, SALTZENSIS, V. I. DOCTORIS CELE-

berrimi, quondam Archipræsulis Moguntini, & Magdeburgensis, Sacri Ro-

mani Imperij Archicancellarij, & Principis Electoris, Cardinalis, Al-

berti, Marchionis Brandenburgensis &c. Cancellarij, No-

uissimè autem Syndici Reipubl. Eyrhordensis,

authore Henrico Cnaustino, V. I.

Doctore. &c.



Etus illud & vulgatissimum est prouerbiū,
Ἐν ὄθι σεαυτὸν, Quòd Latinis, Nosce te ipsum, so-
nat. Hoc poëta, è cœlo descendisse verbum,
testatur. Et pulchrè quidem id, mireque ele-
ganter. Nam qui se ipsum nouit, diuinum
aliquid (inquit Cicero) se habere, intelliget, videbitque,
quemadmodum à natura subornatus & factus, in vitam
venerit, quæ sint ingenij vires, quod acumen, quid vale-
ant humeri, quid ferre recusent.

Ego autem, si hoc ipsum, quod nunc dixi, rectius ani-
mo reuoluissem, perpēdissemque, ante quàm hoc potif-
simum argumenti genus, mihi tractandum in manus su-
merem, nunquam equidem commissem, vt supra vi-
res meas, debilibus humeris, tam graue onus imponerē,
præsertim, cum ad tale Collegiū mihi habenda sit ora-
tio, in quo tot Doctores, viri eloquentes, eruditissimi, at-
que exercitatissimi, conuenerunt. Vincit me tamen hu-
manitas, atque singularis modestia vestra, plusque me
candor iudiciorum vestrorum, auresque delicatæ quidē,
ac patientissimæ, mouent, vt loquar, quàm ingenij mei,
vt taceam, tenuitas. Vincit me quoque, in ordinem illū
vestrum, mirè propensa animi mei voluntas, quæ tam
studiosa est vestri, vt ignorantia meæ arcana malim pro-
dere, detegereque, quàm animo non satisfacere meo. Si

D 2

tamen

O R A T I O F V N E B R I S

tamen mihi hodie illud acciderit, quod plerisque Ora-
toribus, claris viris, contigisse, priscorum monumentis
accepimus, ut à me ipso, orando deficiam, ea obsecro in
me utamini pietate, humanitateque, qua aliquando, &
in alios, me non multo superiores, pro vestro candore,
vsi estis.

Aurelius ille Augustinus, ingenio, eloquioque claris-
simus Ecclesiae Doctor, ædificatis suæ Ciuitatis mœni-
bus, habitatores in eam, Stoicos introduxit, ut cum illis
de philosophiæ dogmatibus, secretisque certaret. Veni-
entibus iam illis in humanæ conditionis disceptatione,
variæ opiniones exurgunt: videtur enim nonnullis, mor-
tis conditio acerbissima, & omnibus prosequenda sin-
gultibus. Alijs verò, foelicissima. Sunt etiam, qui mediū
quiddam eligentes, & humanitate mœreant, & immor-
talitate lætentur. Qua quidem in re, cum literarum api-
ces, inque diuersa distractos philosophiæ vertices confi-
dero, non immeritò ipse hodie anceps, dubiusque sum,
an de obitu, atque ex hac mortalitate, placidissimo recessu,
Reuerēdi, optimi, doctissimi que viri, D. E O B A N I
Zigleri, cuius hoc loco vitam, & merita, pro virili nos-
tra, recensere, vobisque in mentem aliquo modo reuo-
care statui, dolēdum nunc magis sit, quam piè defuncto
potius gratulandum. Scio enim gratissimam, acceptissi-
mamque vobis omnibus tanti viri memoriā esse. Qua-
re petgam, vnde cœperam, & ad rem veniam.

Tria sunt hominum genera, diuersa inter se de morte
sentientium, vulgi scilicet, Stoicorum, & Doctorum Ec-
clesiæ, quorum omnium operæ precium fuerit rationes
intelligere, de quibus, ut sententia rectius ferri possit, mo-
lestum non sit, precor, humanissimas simul & eruditis-
simas aures vestras, accōmodare. Atque imprimis, quas
rationes vilis plebecula & ignauum vulgus, in medium
adducat, audiamus.

Tres habet vulgus causas, rationesque, ob quas, de
mortalium, ex hac vita commigratione, atq; recessu, do-
lendum

D. EOBANI ZIGLERI.

lendum potissimum existimat. Mouetur enim vt plurimum, mortis primum conditione, deinde impensa seruitute, veterum tertio exemplis. Dura namque, & horrenda (inquit) mortis conditio. Nec fieri potest, nisi omnino efferati simus, aut hyrcanæ nobis admorint vbera tygres, quin eorum afficiamur interitu, quibus cū iuncta nobis aliquando animorum vincula fuerunt. Nōne Orestē rectē deplorauit Pylades? Nōne Castora, Pollux? Nōne Eurialum, Nisus? Quæ Hyrcania tales vnquam feras produxit, aut enutriit? Quis Caucasus, Quis Protheus tam dura corda vnquam formauit, quæ nō adficiantur morte & obitu, vel vt melius dicam, abitu hominum, quibus cum amicè, familiariterque vixeris? Iacet nunc illa Doctoris EOBANI Zigleri erudita, disertaque lingua, Iacet stylus, Attico lepore elegantissimus, Iacet ingenium componendis controuersijs accommodatissimum & mansuetissimum: Iacet organon, plurimorum principum consilijs vsitatissimum. Quid multa? Iacet celeberrimi collegij ad B. Mariam virginem Erfurdiani, ornamentum & decus. Quis ergo non consternabitur? Quis non dolebit, videns, subtractis basibus mancū esse ædificium? Quid obsecro animi vobis esset, viri clarissimi, si eas, quibus domus, & palatia vestra fulciuntur, corruisse columnas videretis? Si essetis ædium, ruinas minantium incolæ, quid non timeretis? An non expauesceretis omnes? Contremisceretis omnes? Doleretis omnes? Puto equidem. Quanto magis ergo dolendum est vobis, qui Ecclesię vestræ, insignem prælatum, & antesignanum, cernitis esse collapsum. Quem, inquis, prælatum? Eum profecto, qui vel solus sustinere totam Reipublicæ vestræ Ecclesiasticæ machinā potuisset. Scitis enim, qualis viri celebremus exequias, qualis vitæ is fuerit, qualis prudētia, qualis eloquentia, qualis doctrina. Scitis qualem, quantamque iacturam eius amissione feceritis. Hunc si deplorare debemus, ordine videamus, quid maximè dignū sit deploratione, in tāti viri decessu.

O R A T I O F V N E B R I S

Et primum quidem, si generis originē consideres, natus est clarissimus vir, Doctor E O B A N V S Ziglerus, ex honestissima & antiquissima, notissimaque familia Ziglerorum, in præclaro oppido Thuringiæ, Saltza maiore. Nec enim parum refert, ex qua quis patria oriundus sit. Nam Simonides ille Lyricus, non mediocrem hominis beatitudinem, patriam nobilem, dixit. Hanc Thuringorum gentem, eloquentium Doctorum, & prudentium virorum, fertilissimam esse, nemo unquam negavit. Extant monumenta doctissimorum hominum, eius patriæ nec pauca, nec aspèranda, qui in veteri, & nobili Academia Erfordiana, quasi ex equo Troiano, strenui in re literaria milites, profilierunt, & in hoc usque tempus claruerunt. Ex nobili hac gente originem duxit Eobanus noster, & sicut ei patria, ita & ipse patriæ splendori fuit, ac ornamento.

Prima literarum elementa, in quibus perdiscendis, plerique ingenij tarditate, diutius commorantur, aut etiam consenscunt, ipse incredibili industria, & facili Minerua, in ætate puerili, multo infra pubertatem, tam accuratè hausit, ut iam tum summam parentibus, & amicis, de se spem præberet, ut non difficile esset iudicare, ingenium illud, bonis literis, & ad res magnas, natum esse. Deinde, cum pubertatis annos attigisset, ad scholas vniuersales, quas Academias, siue Vniuersitates, vulgò vocant, se studiorum gratia recepit. In ijs, non ad semestre spatium, non ad biennium, trienniumue (quod plerique solent, qui se tunc egregie suo munere defunctos, belleque in studijs versatos putant) sed ad plurimos annos commoratus, cum perspicacissimo esset ingenio, & tenacissima memoria præditus, ita in liberalibus scientijs, artibusque & studijs philosophiæ promouit, & operæ precium fecit, ut paucis annis Magisterij philosophici insignia adipisceretur. Verum postquam totus discendi cupiditate, pro indolis suæ industria nobilitateque arderet, non
conten-

D. EOBANVS ZIGLERI.

contentus philosophica, Aristotelica, & Platonica doctrina, ad maiora adspirans, progredi maluit, quàm in Scholis philosophorum consenescere. Itaque ad studium Iuris vtriusque consilio præceptorum, quibus ille ad id studium, & ad res magnas in principum aulis, aliquando administrandas, natus videbatur, summa cum spe parentum & amicorum, omniumque qui ingenij sui acumen, sagacitatem, & industriam norant, se contulit. Et quod alijs plerisque magnis contigit ingenijs, vt sicut poëta dixit, Non facile emergant, quorum virtutibus obstat, res angusta domi, haud remorata est parentum, siue tenacitas, siue inopia, inceptum studiorum progressum filij iuuenis, cui liberaliter necessaria boni parètes, ad legitimum eius studij cursum complendum, suppeditarunt. Nec tamen ita, in discendi hoc Iure nostro, versatus est, vt doctrinam Ecclesiæ, salutarem animæ negligeret. Nā semper lectionem sacrorum Bibliorum, veteris, & noui testamenti, insuper & Patrum, Ecclesiæque approbatorum Doctorum, cum studio Iuris, tam foeliciter coniunxit, vt dubitare posses, promptiorne Iuris peritus, an expeditior Theologus esset. Et rectissime quidem, meo iudicio, vtramque discendi rationem coniunctim instituit. Quid enim Iuris prudentia aliud est, quàm diuinarum, atque humanarum rerum noticia, iusti, atque iniusti scientia? Et Ius Canonicum, siue pontificium, quid maiori ex parte tradit, quàm Theologica? Et cum nulli nomē Christianum gerenti, Christum ignorare liceat, l. i. C. de sum. trini. & fide Cathol. Certè multo minus id permissum est diuinarum, humanarumque rerum noticiam profitenti. Scripturarum autem ignorantia, Christi est ignorantia. c. si iuxta Apostolum, quod est D. Hieronymi 38. dist. Ac ignorans Christum, inuicem ab illo ignorabitur. c. quia ea, illa ead. distinctione. c. fina. 37. distinct. Quamobrem, pluribus de causis, à Iurisperito, etiam sacrae scripturae lectio efflagitatur.

Hoc

O R A T I O F V N E B R I S

Hoc toto vitæ curriculo, quo Cyclopediæ optimarum artium, ac philſophiæ iucundiſſimis ſtudijs, Iuriq̄ue, tã Cæſareo, quam pontificio perdiscendo, operam dedit vir Maximus, tam accuratè mores rexit, tam ſolicitè, tam modèſtè, tam caſtè, tam temperanter, tamq̄ue moderatè, & honeſtè ſemper vixit, vt à nullo vnquam alicuius flagitij ſit inſimulatus, nunquam accusatus, nunquam ad conſistoria in ius vocatus, nunquam ignominioſè compellatus, nunquam pulſatus. Erat enim ingenium hominis tractabile, & moderatum in omnibus, facilè omnes perferre, ac pati, cùm quibus erat, aduerſus nemini, nulli os lædens, nunquam præponens ſe alijs, ita vt facillimè, ſine inuidia, laudem inuenire, & amicos parare poſſes. Non dabat operam nocturnis diſcuſſionibus, heſtiationibus, aut ingurgitationibus. Nunquam eum vidit quifquam ebrium, Nunquam in turpi amore deprehenſum. Non erat petulans in quotidianis congreſſibus, non inflatus, non elatus, non garrulus, non impotentis linguæ, quæ mentem præcurreret, non leuis in moribus, ſed grauis, modèſtus, conſtans, maturus, circūſpectus, ſicut poëta de ſe dixit, Eſt mihi, crede, animus conſtantior annis. Sic ille floridæ iuuentutis ſuæ annos, vtiliter, & honeſte inſtituebat, ſic regebat, ſic exigebat, non quod hodie ſtulta iuuentus facit, ocio ac voluptatibus ſe dedēs, turpiterq̄ue parentes, & amicos concepta ſpe bona, defraudans ac fallens. Intelligebat namq̄ue, quàm cito flos ætatis decideret, quàm velociter meliora iuuentutis tempora auolarent, & laberentur, quàm denique irreparabilis, annorum illorum precioſorum iactura fieret, ſi non rectè ijs uſus eſſes, & ſine euidenti aliquo fructu, quo per integrā dein vitam frui, tanquam viatico, poſſes, anni exiſſent. Quare prudenter poëtam ceciniffe intellexit.

Tempora labuntur, ſt acitis q̄, ſeneſcimus annis,

Et fugiunt freno, non remorante dies.

Item.

Eant anni, more fluentis aquæ,

Nec

D. EOBANI ZIEGLERI.

Nec quæ præterijt, cursu reuocabitur vnda,

Nec quæ præterijt, hora redire potest.

Vtendum est ætate, cito pede labitur atas,

Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Et alibi alium.

Vidi iam iuuenem, premeret cum serior atas,

Mærentem stultos præterijisse dies.

Ne idem sibi accideret aliquando, maluit iuuentute, annisquæ optimis, in discenda, strenue vti, sibi quæ viaticum, in omnem ætatem, comparare, vnde honeste vitæ agere, & senectutis solatium habere posset. Vero enim encomio, Marcus Cicero noster, pro Aulo Licinio, poëta studia nostra ornauit, dum inquit, Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis per fugium ac solatium præbent. Delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Et quis non fateatur, hæc omnia, ad nostra quoque Iuris studia quadrare, in quæ ijs locum habere possent? Porro, in vtriusque Iuris, iusta solidaque cognitione, & scientia, tam ardenti studio, legitimis annis profecit, vt Doctoralem mitram, summæque eruditionis insignia, & apicem à pijs pontificibus maximis, & diuis Imperatoribus, præcipuæ doctrinæ, & virtuti concessum, destinatumque mereretur, & sine vlla difficultate, cum summo honore, atque insigni laude, consequeretur. Receptis itaque insignijs Doctoralibus, ad patriam tandem, quasi postliminio, redijt, vbi in Ecclesiæ Saltzësis, quæ collegiata dicitur, Decanum protinus est electus. Deinde à Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinale, & Imperij Electore, Alberto, Archiepiscopo Maguntino, Magdeburgensi, primate Germaniæ, & Antistite Halberstatten-si, Maggrauio Brandenburgense, &c. Principe maximo, cui suo tempore, inter omnes Germanici Imperij Principes, summæ doctrinæ, eloquētix, virtutis, & pietatis laus tribuebatur, accersitus, vocatusque fuit, vt tanto Principi à consilijs esset. Non multo post, Cancellarius factus,

E

secundo

O R A T I O F V N E B R I S

secundo loco post principem, velut altera ipsius manus, erat, solusque ferè, ex æquo & bono, omnia, vir prudentissimus, & doctissimus, moderabatur? Et quia tunc in Germania nouæ factionum faces accensæ erant, & gliscebant paulatim bella, & diffensiones intestinæ, ob Religionis negociū, ita vt multis legationibus opus esset principibus, iam ad conuentus Imperij indictos, iam ad alios Germaniæ Principes, iam ad ipsum Imperatorem Carolum V. ter maximum, fœlicis & piæ, augustæque memoriæ Monarcham, hic noster Eobanus, Doctor, & Cancellarius præstantissimus, clarissimus, & eloquentissimus, plurimas legationes, turbulētissimis, & periculosis illis temporibus, intrepidus cum magna sua laude, & Ecclesiæ, Reipublicæque summa salute obiuit. Deinde, cū Ecclesiasticam dignitatem Decanatus, in collegio Canonorum, ad B. Nicolaum Magdeburgi, adeptus esset, ac iam post exactos multorum annorum plus quā Herculeos labores, quietem exposceret, & nunc aulæ valedicere, atque negociorum procellis se subtrahere, & in dicta Ecclesia sedem figere statuisset, ecce adest iterum Cardinalis, & non finit eum, suo arbitrato priuatam vitam agere, & Ecclesiastico, pio, suauique ocio perfrui, sed nouum onus, ceu clitellas, imponit, & Officialem generalem totius Diœcesis Magdeburgensis, in causis Ecclesiasticis, esse iubet. Huic iugo, etsi facilè colla subdere, graue sibi, minimeque admittendum videretur, tamen cum instaret princeps vehementius, parendum potius duxit, quàm pium, & clementem dominum, Germaniæ primatem, offendendum esse. Per plurimos itaque annos, & huic functioni cum præfuisset, multisque interim alijs quoque Germaniæ principibus, in consilijs, simul operam dedisset, & indies magis, magisque onerū, ac laborum, sibi à Cardinale Archiepiscopo, imponi sentiret, pertæsus tandem turbarum, & molestiarum aulicarum, cum non perspiceret, quomodo se commodè, sine offensione principis sui, extricare posset, ad mutandum locū,
animum

D. EOBANVS ZIEGLER I.

animum adiecit. Verum vbi id Cardinalis olfaceret, eam sibi rationem ineundam cum ipso existimauit, vt et si reluctantem, non inuitum tamen retineret. Expertus enim iam erat Archiepiscopus, per non paucos annos, hominem laboriosum, industrium, prudentem, & fidum in consilijs, omnibusque vitæ Officijs esse, & facile intelligebat, quantum sibi, administrationique suæ decederet, si illum amitteret. Quare sic cum Doctore hoc nostro actum, pactumque est, ne, donec Cardinalis Albertus superstes, inque viuis esset, sibi ab officio missio fieret. Porro, postquam Archiepiscopus Cardinalis, Princeps Elector, mutata sede, Moguntiam concessisset, & ibi, elapsis aliquot annis, vitam cum morte commutasset, depositumque naturæ, animam, scilicet, Deo reddidisset, atque vt cum Christo viueret, dissolutus esset, & ad superos (quorum consuetudinem, societatemque, in illa Germaniæ, dilectæ patriæ, quam quotidie acerbissimis lachrymis deplorare solebat, perturbatione, & morum, disciplinæque omnis dissolutione, sæpissimè ardētissimis votis à Deo exoptauerat) ex perfido, & desperato hoc sæculo, ad Deum emigrasset, ibi tandem ille, comperta morte Domini sui Cardinalis, cum successor Archipræsul, Eobanum hunc nostrum, in officio retinere, quam maximè cuperet, commodam se ex aula exeundi occasionem nactum putans, Erfordiam, in inclytam illam Musarum Coloniam maturo, sanoque consilio, relicta Magdeburga, concessit. Quanto autem, non modo totius cleri, ac piorum omnium sed & nobilissimi Senatus, atque Academię per antiquæ, applausu, & gaudijs exceptus sit, satis declararunt, indicioque, plus quam apertissimo, fuerunt ea, quæ in ipso penè iugressu in hanc ciuitatem accidere. Nam paulò post, cum in numerum canonicorum Maioris Ecclesiæ, beatæ Mariæ deiparæ semper virginis sacræ adscriptus, inauguratusque esset, Sigillifer, vt vocant, seu Officialis generalis, Reuerendissimi Principis ac Domini, Domini Sebastiani, Archiepiscopi, & Electoris Maguntini, foelicis

O R A T I O F V N E B R I S

& piæ memoriæ, qui Cardinali Alberto, in Archipræsulatu successerat, per Thuringiam, Misniam, & Hessiam factus est. Et sicut plerunque fit, vt fortuna fugientem sequatur, sequentem fugiat, ita & dignitas, prælaturaq; Ecclesiastica, quam cantores, in priuilegiatis Ecclesijs, siue cathedrales illæ sint, siue collegiatæ, obtinere solent, Eobanum hunc nostrum, statim, in ipso velut limine, excepit. Et cum elapso vno, atque altero anno, Scholasteriæ quoque præfectura, ex obitu Reuerendi, & Nobilis viri, D. Frederici Bordians, Canonici, & Scholastici, in eadem iam dicta Ecclesia, vacaret, in Scholasterem, per Decreti formam, cum alius non esset, tunc temporis, in eo capitulo aut Doctor, aut Licenciatus, aut genere Nobilis, (Nam tales viros, prælaturæ in Ecclesia Mariana Erfordensi, iure Statutario, exposcunt) vnanimi cōsensu, omniumque applausu, electus est. Poterat autem, & paulo post, eam ipsam, iam adeptam prælaturam, & dignitatē, cum Decanatu eius loci, facillè commutare, si voluisset. Verum quum ambitiosus nequaquam esset, satis se dignitatum habere ratus, minimè illorum consilijs acquiescere, & consentire voluit, qui authores erant, vt Decanatum in se reciperet. Nihil enim tam in votis habebat, quàm vt in vera filij Dei inuocatione, & fide sancta, rectaque conuersatione, tranquillam, sine turbis, sine strepitu, sineque molestijs, agere vitam, quàm simplicissime, posset. Sed quia ad res magnas agendas, vir tantus, à natura factus erat, trahebatur à nobili, prudentissimo, & amplissimo Senatu Erfordiano ad deliberationes maximarum rerum politicarum in Republica. Hic diu solus, tanquam aliquis Athlas, immensum humeris onus sustinuit. Tandem iam laboribus fatigato, annisque graui, accessit in eandem Stationem consiliariam, & Syndicalem, vir Clarissimus D. Ambrosius Schurerius, V. I. Doctor, præcipuæ vir eruditionis, magniq; ingenij & nominis, cum quo amiciuissimè, & vnanimiter, publicè, & priuatim, vixit. Neque enim distaxit animos vtrinque,

nec

D. E O B A N I Z I E G L E R I.

nec quicquam Reipubl. Erfordianæ, incommodi intulit, sicut fieri aliquando solet, Religionis dissimilitudo, cum vtriusq; ingenium esset tractabile ac moderatum, & multis vitæ ærumnis, laboribusque exercitatum. Proinde summa cum laude, Amplissimo Senatui Reipubl. Erfordianæ operam dedit, & verè consilij præfuit, tam populo, quàm patribus conscriptis charus. Quas autem molestias, in prouincia Sigilliferatus sui, & vacante Decanatu, quem ille recipere abnuit, & tamen eius vices, administrationemque gessit, tum in Ecclesia, tum curia Archiepiscopali Erfordiana deuorari, quos labores hauserit, quid non præstiterit, haud facile dixerim. Res ipsa loquitur, omnes sciunt, nemini ignotum est, nisi quibus hæc ipsa fortè curia est incognita, & res Ecclesiasticæ omninò sunt ignotæ. Interim dum sic militat, vir incomparabilis, in Ecclesia, in curia, in Republ. non desunt & Principes quidam, magno numero, qui ipsum, largo salario, ad consilia inuitant, & conducunt. Inter hos erat primus, Archiepiscopus Magdeburgensis, qui eo tempore ad gubernacula sedebat, Illustrissimus princeps Sigismundus, Marchio Brandenburgensis. Hic frequentissimè ipsius utebatur consilio & opera, in arduis Ecclesiæ, & Reipubl. certaminibus atque negocijs. Cæterum, vbi non satis videretur, in scriptis sæpissimè principi adesse, & consilium salutare impertiri, multoties in anno etià corpore, Archiepiscopali aula adesse necesse erat, ne quod in se bono principi clauderetur commodum. Videbat enim se, ab illa aula, in qua tot cognati principes, sua fuissent vsi opera, & fide, non posse, bona & commoda ratione, penitus & omninò separari, etsi hoc quam maximè cuperet, & probe se id ipsum iam, per loci mutationem adsecutum esse existimaret. De alijs principibus, & comitibus, quibus à consilij erat, inter quos, & quidam non pauci, in protestantium numero erant, nihil iam dicam. Silentio quoque præteribo præclaras ciuitates, quas prudentissimo suo consilio, vir magnus fouit, & quidem in

O R A T I O F V N E B R I S

rebus maximè dubijs & arduis. Hoc certissimum, & multis notissimum est, quod indies magis, magisque, è longinquis etiam locis, legationibus peteretur, ad consulendum, & proximo ferè, ante mortem anno, plane hoc nomine obrueretur. Si singula, quæ ad labores ipsius & merita attinēt, persequi cupiam, citius hic me deficiat dies, quàm referam omnia. Vno quod res est dicā verbo. Homo erat, pius, doctus, prudens, eloquens, & laboriosus. Habetis omnia, quæ in summam eius à me laudem dici possunt. Quod ad reliquam vitam pertinet, quā breuissime me absoluaui. Qualis in iuuentute fuerit, supra diximus. In media & vltima atate, hoc accessit, quòd ferè anni solent, sicut dicitur, Actas semper aliquid apportat noui. Et Satyricus dixit, Multa ferunt anni venientes cōmoda secum, Multa recedentis adimunt. In alijs plerisque sui similis erat, & antiquum obtinebat. Erant enim hominis mores placidi, & graues. In quotidianis congressibus, & familiari vitæ consuetudine, non morosus, non tristis, non iracundus, sed nec solutus, aut leuis erat, verum obseruato grauitatis decoro, affabilem, facilemque, pro re, conditione, loco, & tempore, omnibus bonis se præbuit. Ideoque & cunctis charus, non nisi malis formidabilis, & inuisus erat. Non libenter, ob naturæ bonitatem, & mansuetudinem, cuiquam os lædebat. Si tamē omnino sic res ferret, vt serio aliquid faciendum videretur, sic sermonem temperabat, sic affectibus moderabatur, vt & grauius reprehenderet delinquentes, & gratiā, beneuolentiamque apud bonos non amitteret. Liberior erat in colloquijs, & magna animi voluptate, cum doctis conferre solebat. Quod ad facultates, magno sudore, vigilijs, & labore multo partas, attinet, dicitur, rem satis magnam fecisse. Attentior enim, per totam vitam, fuisse ad rem, fertur & parcior, quàm vt inutiliter sua profunderet, aut abliguriret turpiter. Nam tenui, at salubri, & necessario victu, facile contentus erat, sicut Natura verè dicitur, paucis contenta esse. Non sumptus faciebat inu-

tiles

D. EOBANVS ZIEGLERI.

tiles, quod plerique vsitatum est ad luxum. Non magnā & ad ostentationem comparatam, habebat, familiam. Non multos alebat equos: sed vno, atque altero stipendio equo, se suum principibus præstare obsequium honeste posse existimabat. Vestitu ad superbiam, & arrogantiam splendido, non utebatur, nec auro conspicuus incedebat, sed haudquaquā tamen sordidus, simplici ac mundo, decentique habitu acquiescens, efficiebat, vt nō tam vestes virum, quā vir ipse vestes commendaret, & omnium in se oculos conuerteret. Et quod alij vitio vertūt, vehemensque maledictum existimant, eam laudem ego in hoc viro duco maximam: libet enim cū Poëta loqui, Non minor est virtus, quā quærere, parta tueri. Et laudabile illud Ciceronis extat dictum, Non intelligunt homines, quā magnum sit vectigal parsimonia. Verè magnum & amplum vectigal, parsimonia est, qua præditus hic noster Eobanus, quā plurimum suis hæredibus, & Ecclesijs, ad pias causas, reliquit. Nam quod Comicus Mitio inquit, Solum vnum hoc vitium affert senectus hominibus, Attentiores sumus ad rem omnes, quā fat est, licet verum esse fateamur, tamen commode, hoc dictum poëtæ, accipiendum esse putamus. Etsi enim ingēs est vitæ humanæ confusio, in quærendis, & dissipandis facultatibus, tamen moderati, & pij, regulam hanc norūt, non solum naturæ hominis insitam, sed etiam sæpe repetitam in doctrina cœlesti, quam Salomon tradidit pro- uerbiorum. 5. Fontes tui deriuentur foras, & tu dominus eorum esto. Nam hic primum monet Salomon, approbari à Deo legitimam dominiorum distinctionem. Deinde iubet, quem libet manere Dominum sui fontis, id est, sui fundi, possessionis, censuum, patrimonij, hæreditatis, in super & suo frui. Postea additur, vtriuuli foras deriuentur, id est, vt ex fructibus, fundi, & possessionis nostræ iuuenus alios. Quia commune foedus est humanæ naturæ, propter quod mutuam opem, singuli singulis debemus, iuxta præceptū Domini, Diligas proximum
tuum

O R A T I O F V N E B R I S

tuum sicut te ipsum. Quare & Euangelista Ioannes homicidam vocat eum, qui cum potest opitulari, destituit egentem. Sunt autem duæ vicinæ virtutes, inter eadem extrema, liberalitatis & parsimoniam. Liberalitas dicitur quæ honeste largitur: Parsimonia, seu frugalitas, quæ res proprias custodit, vtiliter collocat, vitat sumptus non necessarios, emacitates, mutuationes, ambitiosas ædificationes, sumptuosam familiam, equos, canes, & alias id genus pestes rei familiaris, & tamen ubi ratio iubet, expendit quantum conuenit. Et vtramque virtutem Deus præcipit. Vt enim de liberalitate dicit, fontes tui deriuentur foras, sic & parsimoniam præcipit, cum addit, & tu domus eorum maneto. Et paulo ante: Ne saturentur alieni facultatibus tuis, nec sint labores tui, in domo aliena. Est enim verborum proprietates, & emphasis consideranda. Non vetat egentibus opitulari, sed vetat profundas facultates in alienos, id est, in eos, cum quibus nulla nobis est, nec naturalis, nec ciuilis obligatio. Et Christus ipse iubet, colligi reliquias, cum populo panes distribuisset. Et Paulus sic dari iubet, ne alijs sit ignauia, nobis tribulatio, hoc est, ne aliorum ignauiam, profusionibus nostris confirmemus, & nostras facultates sic exhauriamus, vt nostris desint necessaria. Hinc patet, in vsu facultatum, intuendam esse voluntatem Dei, ne quis fortè putet, earum vsu, ac profusiones, non esse curæ Deo, sed statuendum est, hanc virtutem, vt cæteras, præcipi à Deo, & propter nos, & propter alios. Quia vitia cōtraria multis nocent, tam in publicis, quàm priuatis familijs. Et difficultates Oeconomiam, multipliciter impediunt administrationem, siue domesticam, siue publicam, quam oportet instructam esse pecunia, vt Demosthenes inquit. Viderit ergo, quàm rectè faciat, quisquis est, qui Eobanum Zieglerum mediocritatis, inter sordes, & profusiones, quam maxime obseruantem, amantemque, auaritiæ vitio, maloque insimulare audet. Quomodo enim auarus is dicendus est, qui in omnibus honestis actionibus, & congressibus,

D. EOBANI ZIEGLERI.

gressibus, siue publici illi fuerint, siue priuati, semper stationem suam, pro decoro, frugaliter, & laudabiliter, tutatus est: & verè pauperibus, suo tempore, & loco, non defuit, & amicis, consanguineisq; suis, in testamento bona sua, quæ multis illi vigilijs, labore, & sudore, constiterunt, liberaliter distribuit: tanta erat hominis temperantia, in cibo, & potu, exemplū sobrietatis ille omnibus, quib. præfuit, facile vt esse posset. Vtinam nemo, in hac parte illi sit inferior, inter prælatos harum Ecclesiarum, fortassè melius aliquantò res Ecclesiasticæ haberent. Porro, in postremo exactæ iam ferè vitæ spatio, ne nihil non in hoc Viro magnū & præcipuè conspicuum esset, post multas multarum Ecclesiarum adeptas dignitates, adsciscitur, quoq; & legitimi, vltroq; vocatur, in equestrem Canonorum Nobilium Halberstænsium, Ecclesiæ. S. Steffani, amplissimū ordinem: & Canonicatus illi splendidus, sponte, gratisq; confertur, quem quinq; ni fallor, ante obitum, annis possedit. Sedes tamen, quam vocant Residentiam, in præclara Vrbe Erphordia, quod præciosa, ampla, ornatissimāq;, eo in loco, sibi Curia, seu domus, contigisset, quæ omnibus, iam supra decennium, nota fuerat, quodq; ille, tam Senatui & populo Erphordiano, quàm clero, ibidem, apprimè charus esset, mutare noluit. Mansit itaq; in Residentia Erphordiana, constans, vsq; ad finem, quod aiunt, vitæ, quamquam sapissimè Archiepiscopum Magdeburgensem, & Canonicos Halberstænses, ascitus, visitaret. Iam narrationi Colophonem addam, & fabulæ vitæ, Catastrophen subiungam, in qua hic noster Eobanus tandem rebus humanis, vltimum dixit Vale.

Et si autem hoc sine dolore facere non possum, tamen quia eò iam orationis series deuenit, paucis me absoluiam.

Eobanus, cum laborare coepit, annum 81. ingressus fuit, quem Plato, inter climacteres introduxisse videtur. Nouenario enim quadrato, ipse vitam humanam con-

F sumari

O R A T I O F V N E B R I S

sumari existimauit, quem terminum nostro tempore, quam pauci attingant, notissimum est. Sic Genethliaci nominant, & numerant climacterem, ex septenarijs septimum, vt est annus quadragesimus nonus, quem pro omnium difficillimo, & periculofissimo habent, etiam propter numerum quadratum, cum tamen, neq; ex ijs, quos vetustas celebrauit, multos absumpserit, neq; ex nostris hominibus, multos tollere animaduertatur. Morbus, quo agrè habere animaduersus est, fuit. Tonfillarum, nisi fallor, phlegmone, seu serpentes, & maligna. Tonfillarum vlcera, cui morbo, si initio subuentum fuisset, multos adhuc, Deo volente, superare annos viuendo potuisset. Sed ipsa, per se, morbus est senectus. Extenuabat autem initio morbigenus Eobanus, atq; ideo Medico non utebatur, nec chyrurgis. Nec enim vnquam antea ægrotarat, ita firma valetudine præditus fuerat. Et quia morbus, periculosus non videbatur initio neminem ad colloquium admittebat, nec pharmacis medelam abhibebat. Credebat namq; multos graues morbos, Abstinentia, & per se curari posse. Et cum natura adhuc integra, & nondum debilitata esset, spes ipsi, & domesticis erat, fore, vt morbus, decursa periodo, leniretur, & cessaret, natura firmiore, medelam præstante, sicut dicitur, Natura, in homine, Medica est, Medicus, tantum minister naturæ. Quare Medici opera nullius, nec chyrurgi utebatur. Generalibus, tantummodo experimentis contentus erat, gargarismis, videlicet, quibus phlegmone, curari solet, cui rei suum iudicium sufficere putabat. Mirabantur multi, quam obrem Medicum non aduocasset. Sed sic homo erat, quia pharmacis non adfuerat, nolebat sibi, cum Medicis, aut Chyrurgis, rem prolixè esse.

Hoc pacto, ad multas septimanas, non decubuit quidē semper, sed tamē malè affecta valetudine vsus est. Postremo morbus inualuit, cum neglexisset principijs obstare. Etsi autem serò Medicinam parari, Poeta dixit,
morbi

D. EOBANI ZIEGLERI

mōrbi cum longa conualuere mora: tamen multi in ea erant sententia, si amissus fuisset Medicus, aut Chyrurgus, in tempore, potuisse aliquo modo retundi vim morbi, qui initio non erat lethalis, nec periculosus, sed nulla accedente legitima cura, fiebat periculosus, & postremo lethalis.

Interea, dum hæc fiunt, morbus indies magis, magisque intenditur, & augetur, nemoque ad visitandū ægrotum, & iam lecto decumbentem, vocatur, nec admittitur, ita vt suspecta inciperent fieri pleraque. Ea re moti quidam è numero Satellitij, Mogunciaci, & Senatorij ordinis, Erphordiani, cum is, qui ægrotabat, Sigillifer Moguntinæ Academię, vicecancellarius, Ciuitatisque & Reipubl. Erphordianæ, bene meritus, multorū annorū Syndicus existeret, & publice interesset stiri, quomodo se haberet valetudo eius, qui multis septimanis, in publico nō fuisset visus, & ad quē nemo vocaretur, nec admitteretur, curiā ipsius, magnificè extructā, ex officio, tam publico, quā priuato nomine, adeunt, se intro mitti à familia postulant. Ibi vero demum desperata omnia videri, & nouissima hominis apparere. Atque idcirco, consilio amicorum, qui forte fortuna conuenerant, Doctor Remediorum accersitur, is vbi certa mortis indicia adesse sensit, serò se adhibitū questus, nullis nisi generalibus antidotis, vsus est, quibus in animi deliquijs, & similibus lipothymijs, vtimur, cum confortatiua adhibemus.

Tandē rebus humanis desperatis, animæ Medicus adhibetur, accersiturque, à quo coelesti accepto viatico, placide in Christo. vnico suo *Μεσιτοϊ, & Ιηεροϊ*, absque vlla deformioris torsione, aut enormi, & notabili cruciatu, Eobanus, in ipsis precibus, & ardenti inuocatione filij Dei, obdormiuit, animamque Deo, cui eam perpetuis votis antea commendarat, suauiter, pieque reddidit. Et sicut sancte vixit, ita mortuus etiam fuit sanctissime, cū vixisset, summa laude, annos octoginta, & vnum, nec

F ij tamen

O R A T I O F V N E B R I S

tamen annis esse tam grauis cuiquam visus fuisset. Integro enim adhuc, & solido, non emacerato, aut colapso corpore, vt fit in senū vulgo, Eobanns noster erat.

Tanto igitur viro, cuius multiplex in omni vitæ parte, poterat adhuc esse vsus, cum Ecclæsia, & Respubl. durissimis istis temporibus, sit orbata, ingemiscere omnes bonos necesse est, qui prudenter intelligunt, non modo gubernationem, amissis peritissimis Argonautis, paulatim euadere difficiliorem, verum etiam summorum hominum funera, quæ nuuc indies prope continuantur, plerumq; esse *χρυσικά*, impendentēsq; humano generi calamitates, portendere, ac denunciare.

Sed si cui obitus clarissimi huius viri acerbus accidit, certè mihi, quem summa animi coniunctione attingebat, luctuosissimum esse par est, qui non amicum tantum amisi, sed amicissimum, cuius fideli consilio, & ope, ad multos annos, vsurum me confidebam. O fallaces hominum, fluxasq; spes, præcipitem fortunam, miseram, inanemq; vitam.

Cæterum reprimam hic me, nec dolorē exaggerabo meum, præsertim, cum persuasissimum nobis sit, nihil omnino huic nostro demortuo mali accidisse: sed de labore, ad quietem: de molestijs, ad tranquillitatem: ex morbis, ad sanitatem: ex breui, commutabiliq; ætate, ad æuum perpetuum: ab exilio, in veram patriam: ex hoc deterrimo sæculo, quod nec flagitijs, nec miserijs amplius suis par est, in vitam cœlestem, beatorumque sedem, vbi nostrum est *πολιτευμα*, esse translatum.

Quocirca illius transitum, & demigrationem, commutatamq; cum immortalitate, mortalitatem, gratulatione potius, quàm lamentatione prosequamur. Ac si dolendum est (fieri enim aliter nequit) non illius, sed nostro incommodo angamur, qui in rerum perturbatione omnium, in miserrimo huius memoriæ statu, & tumultu, tempore nostro, & Reipubl. alienissimo, à tam fideli, & bono ductore, cuius ductus, & auspicia, publice

D. EOBANI ZIEGLERI.
publicè salutaria omnibus, priuatè nobis oportuna,
iucundàq; esse potuissent, sic importune deserimur, &
in medio, quasi æstu, atq; gurgite, omni humano desti-
tuti auxilio, in gubernando, relinquimur. Cæterum,
quia Domino, qui est vita, & longitudo dierū nostro-
rum, in cuius manu sortes sunt nostræ, in quo viui-
mus, mouemur, & sumus, ita, scilicet, est visum, dile-
ctam sibi animam subducere mundo huic *κονοισίω*, quo
nihil fingi perditius, expectariue potest, ne impenden-
tibus malitiæ pœnis inuolueretur, humiliemus nos,
sub potenti eius manu, diuinâq; illius voluntati, no-
stra vota subijciamus oportet. Vnum id omni studio,
& contentione, quantisper in humanis sumus, operam
dantes, vt decurso rectè huius vitæ spacio, ad eundem
beatorum conuentum, in quo nunc lætus degit Eoba-
nus, propicio aliquândo tandem Christo, aggregemur,
quod nobis omnibus, & cunctis, in Deo acquiescenti-
bus, largiatur fidelis, omnis misericordiæ, ac consola-
tionis parens, fons & origo, Pater Domini nostri Iesu
Christi, & huius beneficio noster quoq;, vere opt. Maxi.

qui cum filio hoc suo, redemptore nostro, & Spi-
ritu sancto paraclito, viuit & regnat, solus

verus, iustus, misericors, in om-
ni æternitate Deus.

Dixi.

F iij In

IN MORTEM REVERENDI ATQVAE
 Clarissimi viri, pietate, doctrina, prudentia, ac Elo-
 quentia, omniq; virtutum genere, Ornatissimi, D. Eo-
 bani Zigleri, V. I. Doctoris, quondam apud Reueren-
 dissimum, illustrissimumq; Principem, ac Dominum,
 Dominum Albertum, Archiepiscopum Moguntinū,
 Magdeburgensem, & Halberstatensem, Sacri Romani
 Imperij, per Germaniam Cancellarium, & Electorem,
 Sanctæq; Sedis Romanæ Cardinalem, Marchionem
 Brandenburgensem &c. Archicancellarij, Nec nō apud
 Sacram Sedem Moguntinam, in Erphordia Sigilliferi,
 & Ciuitatis eiusdem Syndici, Simulq; Ecclesiæ B. Ma-
 riæ virginis ibidem, Canonici, & Scholastici &c. Carmē
 lugubre, Epitaphij nomine, & pietatis ergo, scrip-
 tum ab Henrico Cnaustino, Artium liberali-
 um, ac Philosophiæ, & V. I. Doctore
 Poeta Laureato, & Sacri
 Palatij Comite &c.

Excellens Iuris Doctor, pius, atq; fidelis,
 Ziglerus terras linquere iussus erat.
 Ille nihil renuens, fiat tua Christe, voluntas,
 Inquit, & hanc vocem sæpius ingeminat.
 Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi,
 Annis atq; satur, tristia multa tuli.
 Principibus gratus, duro comitante labore,
 Ipse fui, patriæ laus, honor, atq; decus.
 Multa tuli patiens, vidi aspera multa per aulas,
 At moderata sequi comoda doctus eram.
 Consilia & moderata darem quum, risit Apollo,
 Quod multos stultum præcipitasset opus.
 Hinc matura mihi, facilisq;, optata senectus
 Contigit, vt vitæ plurima lustra forent.
 Namq; octo decies iterans, compleueram in annos
 A Etatem, needum ruga molesta fuit.
 Candida sed neq; nix capitis, canusue capillus,

Est

D. E O B A N I Z I E G L E R

Est visus, mento nix quoq; rara fuit.
Postremo multis iactatum sorte periclis
Erphordia excepit, fouit & alma suum.
Consilio populos colui, Sanctumq; Senatum
Syndicus, egregiæ queis decus vrbis eram.
Præfueram clero quoq; non sine laude, Scholaster,
Sic tamen, vt verè semper amarer eis.
Omnia sic moderans, medio vt tutissimus irem,
Exemplumq; essem, quo pietate meis.
Tandem consumptus senio, morboq; grauatus,
Decubui lecto, debilis, atq; dolens.
Ante hac nullus erat capitis dolor, aut tremor oris.
Obruit hic subito me lachrimosa dies.
Prædixi hoc, tandem præter spem, sæpe, futurum,
Opprimerer, quando morbus adesset, ego.
Ingruit illa modo, grauis omnibus, hora sepulchri,
Funeris hora mihi, sentio, tristis adest.
Sic ait, & morbum perfert patienter acerbum,
Testificans veram sæpius ore fidem.
Postremo manibus tensis ad sydera cœli,
Hanc animam, dixit, suscipe, Christe tuam.
Mens pia, cœlestis patriæ, sortitur honorem,
Hic tumulus tantum, putre cadauer habet.

Aliud eiusdem.

Hoc tegitur, placida sublatus morte, sepulchro
Ziglerus, fato iam meliore fruens.
Transijt è viuis, ad vera palatia vitæ,
Quemq; diu sonuit, iam videt ore, Deum.
Corpus humi moles, animam sibi vendicat æther,
Fama piæ munus posteritatis erit.

scæzon.

Tristes lambos iam sonare cogemur,
Luctumq; non vulgarem, proh dolor. Namq;
Tristem ruinam Ecclesia pertulit Christi.
Pullas lycæa vestes Martis ostendunt,
Iamq; circa ripas lachrimis Nymphæ

F iiij

Genas

ORATIO FVNEBRIS

Genas decentes irrigant. Quid Heroum
 Inopina mors portendat, longa sæclorum
 Series docet. Lux occidit, coruscantis
 Solis, quæ instar nostræ Thuringiæ stellas
 Inter, procul emicabat, occidit, clarus
 Iurisconsultus Ziglerus heu Eobanus,
 In longa natus Saltza, sed per externas
 Notissimus sanè oras, inclytum lumen
 Thuringiæ, quem nostra deflet hoc Musa
 Cnaustiniano carmine, sed magis flendum,
 Plorandumq; Cothurnatis versibus nobis.
 Vir decessit magnus planetibi Erforda,
 Cuius dulcis memoriæ gratia, atroces
 Iam nos iubent Iambi iterare ploratus.
 Sed quando non est dubium, quin pius mundi
 Qui tecta coluit, lucida nunc colat Diuum
 Regna viris claris debita, igitur quiescemus
 Querelis, & animæ pia vota dicemus,
 Ut inter fœlices quiescat in pace.

VENERABILI, PIETATE, ET DOC-
 tirna ornatissimo Viro, D. Henrico Ternero, Saltzēsi,
 Doctoris Zigleri, è sororū Nepoti, Artium liberaliū,
 & Philosophiæ Doctori, Iuris, æquarumq; legum peri-
 to, in Ecclesia B. Mariæ virginis Erfordiæ Canonico,
 à propinquo, iniuste, & crudeliter, rapto, & in fuga
 hostili, varijs oris circumuecto, & vexato, tandem mi-
 serabiliter, atrociter, & horrendè, trucidato, in-
 terfectoq; Epitaphium hoc, pietatis ergo,
 scripsit idem Henricus Cnaustinus,

V. I. Doctor, poëta Cæsareus,

& comes Sacri
 Palatii.

Henricus Terenarius pius Vir
 Omnino, atq; bonus, peritus, Iuris,

Arte,

D. EOBANI ZIEGLERI

Arte, ac eloquio simul celebris,
Qui tres, terq; decem peregit annos,
Ortu nobilis, atq; mente, matrem
Dum in Saltza patria aspicit propinqua,
Erforda faciens iter, reditq;,
Immani capitur miser propinquo.
Tractatur malè, deniq; & necatur,
In sylua, gladio peractus, vllum
Non illi fuit vrbs & sepulchrum.
In Christo at quia spem locauit omnem,
Surget liber, & omnibus solutus
Vinclis integer, & beatus, inter
Vim passos, meritò sine, atq; culpa,
Vitæ ad gaudia clara sempiternæ.

*Aliud, eiusdem authoris
Scæzon.*

Thuringagens mihi, Ternarij nomen
Henrico erat, grande studium, decus laude
Parare. Me vidit Germania, in castris
Henrici Brunsvicensis, Saxonis, bello,
Quod patriæ pro libertate, gesserunt
Mauritius Elector, & hic maximus Princeps.
A principis latere eram proximus, Martis
In conflictu, quando occubuere tunc, summi
Quatuor Duces, caput Mauritius primum.
Cui vis prælij, & pericula immensa,
Ac hostis impetus truculentus, & præsens
Ante oculos Mors, pepercit, huic fuit dira
Parata mors, ab amico, in patria, iuncto
Mihi sanguine proximo. Humanis amicum nil
In rebus est homini. Nemo scit omnino,
Quæ sit, & vnde, hora necis suæ. Meam credo
Carnem tuo resurgere, Christe, verbo, cum
Ad superam reuocabis domum tuba iustos.

G

Aliud

ORATIO FVNEBRIS

Aliud eiusdem.

Dulce quod est alijs, & charum nomen amici,
Hoc mihi tristitiæ causa, necisq; fuit.
Nam qui crudeli validum latus ense peregit,
(Fatales casus aspice) amicus erat.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,
ac Domino, Domino VVulffgango VVestermeiero,
Episcopo Afcalonienfi, Sanctæ Sedis Moguntinæ, apud
Erfordiam Suffraganeo, Canonico ibidem, in Ecclesia
B. Mariæ virgini sacra, Domino suo, dum viueret,
gratioso, Epitaphium hoc scripsit, Hen-
ricus Cnaustinus, V. I. Doctor,
Poeta Coronatus, & Comes
sacri Palatij.

Lustra decem, septemq; ferè vixisse ferebat
VVulffgangum, claro nomine, fama virum.
Præful in Afcлонia, Suffragatorq; Mogunti,
Hic erat Erfordæ, præmia digna ferens.
Præco Dei verbum docuit, verumq; salutis
Monstravit, nec non ipse secutus iter.
Ut cadit attactum Boreali frigore gramen,
Siccadit exhaustis viribus ille senex.
Utq; suos recipit post frigora gramen honores,
Sic vitæ capiet gaudia verna nouæ.
In Christo cubat hic, in Christo vita resurget,
Et promissa polo gaudia certa feret.

Aliud eidem, eodem authore.

Postquam primus homo paradyfi gaudia liquit,
Illius omne genus, mors inimica tulit.
Nullus enim Regum, nullus mediocris in orbe,
Aspera ab hac liber conditione fuit.

Hanc

D. EOBANI ZIEGLERI

Hanc legem sequitur, tumulo qui clauditur isto,

Nomine VVulffgangus, Præsul in Asclonia.

Qui Domino, sanctisq; Dei seruiuit honestè,

Donec in hoc sæclo viuere fata dabant.

Principibus charus, doctis & moribus aptus,

Ingenij, placidus, pro bonitate, fuit.

At postquam Præsul, meritis, maturus, & annis,

Illius hinc animam, qui dedit, ille tulit.

Hocce legens versus, transis quicunq; viator,

Dic, requiem æternam, donet ei Dominus.

VENERANDI, OPTIMI, ET DOCTIS.

fimi viri, D. Andreae Koeleri, artium liberalium Ma-

gistri, Canonici, & Concionatoris Erfordia, in

summo templo, B. Mariæ virgini sacra

to, Epitaphium eius-

dem authoris.

Te quoq; Koelerum mors Andream tulit atrox,

Viuere qui longo tempore, dignus eras.

Te mœret passis Ecclesia nostra capillis,

Et fletus tumulo, datq; deditq; tuo.

Tu curis hominum, tu mundi sorde solutus,

Fulges, syderibus pulchrior, ante Deum.

CLARISSIMI, PRAESTANTISSIMI

que viri, D. Georgij Iudæi, V. I. Doctoris consultif-

fimi, Professoris in Academia Erfordiana vi-

gilantissimi, celeberrimi, & optimè

meriti, eiusdem authoris

Epitaphium.

Iudæus, vera præstans virtute, Georgus,

Doctoris digno hic functus honore iacet.

Cui mores, studijs similes, & honorib. artes,

Ciuiibus, & patriæ, queis bona multa tulit.

G

ij

Nam

O R A T I O F V N E B R I S

Nam benè de cunctis fuit illi cura merendi,
Deq; pia vehemens sollicitando schola.
Exutus carnis vinclis, & corpore, viuit
Mente, fruens coeli munere, luce Dei.
Destruxit lutheum, mors, Iudæi, inuida, corpus,
Permanet egregij splendida fama viri.

OPTIMI, ET HONESTISSIMI VIRI,
singulari pietate, & prudentia præditi. Domini Ioannis
de Monte, qui filium eiusdem nominis virum Reuc-
rendum, doctissimum, & prudentissimum, summaq;
Eloquentia ornatum, Theologum, Erphordix in Eccle-
sia B. Maria virginis, (vbi sepultus est bonus senex sep-
tuagenarius) Canonicum, reliquit, ita vt mortuus non
videatur, qui talem, tantumq; ex se. Ecclesiæ
Christi, præconem exhibuit. Epi-
taphium, eiusdem
authoris.

Nobilitas, & opes, & clari fama laboris,
Et studijs mores excoluisse bonis,
Magna viro laus est, sed nil præclarius illa,
Quàm patriam, & verum, quàm coluisse Deum,
Laude senex ista magnus, splendensq; Ioannes,
In vita fuerat, morteq; clarus erit
Huic mors visa quies, aliam scio, speroque vitam,
Dixerat, ipse nouus sum rediturus homo.
Hoc posuit pietas nati officiosa sepulchrum,
Mens. & amor, Patri, filio, & vnus erat.
Aeterno superos nunc splendens inter honore,
Salue omni populo commode, sancte senex.

F I N I S.

Kc 187

ULB Halle

3


004 063 538




Sb

Mi







DE DIVONIS
IVRIS CONSVLTI LAV-
DIBVS, ET VITA, ORATIO,
MVLTA VTILES DOCTRINAS COM-
plectens, studiosis Iuris, & ijs potissimum, qui gubernaculis admouendi sunt, profuturas, conscripta ab Henrico Cnaustino, V. I. Doctore, Sacri Palatij, aulæq; Lateranensis Comite, & Poeta Cæsareo.

ACCESSIT AD FINEM, ORATIO FVnebris, de vita & obitu D. Eobani Ziegleri, Saltzensis, V. I. Doctoris celeberrimi, quondam Archiprasulis, & Electoris, Moguntini, Cardinalis Alberti, Marchionis Brandenburgensis, &c. Cancellarij, Nouissime autem Syndici Reipubl. Erphordensis, eodem authore.



COLONIAE
Apud Maternum Cholinum.

Anno D. M. LXXIIII.

